De sero Metropoleωn Ecclesiasticarum ortu in Occidente

EXERCITATIO PUBLICE INSTITUENDA

A D. BENEDICTO ANTONIO CASTORI Veronensi,

CASINATE MONACO ET PATAVINI S. JUSTINÆ MONASTERII ALUMNO;

Eño ac Rño Principi, & S. R. E. Camerario

CAROLO REZZONICO

Congregationis CASINENSIS Protectori ac Patrono Beneficentissimo

DICATA.

PATAVII AD D. FIRMI. 1787.

TYP. JO: ANTONII CONZATTI.

Superiorum Permissu.

De Metropoleωn Ecclesiasticarum Origine in Occidente

THESES DISPUTANDÆ.

I. IN ITALIA ante medium Quartum Sæculum ullas erectas esse Ecclesiasticas Metropoles, nullis aut EXEMPLIS, aut Conciliorum CANONIBUS probatur.

II. METROPOLES easdem Ecclesiasticas in GALLIIS, HISPANIA, BRITANNIA ante dimidium Quarti Sæculi extitisse, nullis doceri potest Conciliorum CANONIBUS.

III. IN GALLIIS item, HISPANIA, BRITANNIA ullas visas esse Ecclesiasticas Metropoles ante dimidium Quarti Sæculi, nullis demonstratur EXEMPLIS.

[illegible] [illegible] Antonio

[illegible]

Antonio [illegible]

[illegible] Jave [illegible]

[illegible]

Antonio Jiron

[illegible]

X I X

De Sero Metropoleωn Ecclesiasticarum Ortu in Occidente

Exercitatio.

CAPUT I.

Historia originis & incrementi Metropoleωn Ecclesiasticarum generatim delineatur; simul de Canone VI. Nicæno, & de Suburbicariis *Ecclesiis Ruffini agitur.*

I. Antequam ad Quæstionem de Metropoleωn ortu in Occidente propius accedimus; nonnulla de re universa adnotanda sunt. Primo, non a nobis hic agi de Juris Metropolitici origine seu de prima institutione Metropoleon in Ecclesia Christiana universim, sed de Occidentis Metropolibus tantum. Et de origine hac Juris Metropolitici in Ecclesia Christiana, quatenus tum Oriente tum Occidente comprehenditur, admonebo hoc unum; nempe illos, qui ea de re scripsere, universos quidem convenire, nullas CHRISTUM Dominum Ecclesiasticas Metropoles instituisse; sed non ita concordes esse, quando de Apostolis quæritur. Petrus enim DE MARCA in *Concord. lib. 6. cap.* 1. Metropoleon originem & institutionem adscribit Apostolorum facto & traditioni. Contra autem DUPINIUS institutionem hanc Apostolis abjudicat *Differt.* 1. *De Ant. Eccl. Discipl.* §. 6., ibique ea simul quæ Petrus de Marca pro affirmante sententia protulerat argumenta, convellere nititur.

Existere autem cœpisse Ecclesiasticas Metropoles *ad formam Politici regiminis* post mortem Apostolorum existimat, *easque paulatim & per consuetudinem invaluisse*. Etsi autem ego quærere nolim, an argumenta a Petro DE MARCA prolata, ad id efficiendum sufficiant quod ipse voluit; de origine tamen Metropoleon universim sic statuendum puto: Cum Jus Metropoliticum sit antiquissimum, neque ullis primum Conciliorum decretis inveniatur statutum; juxta celebrem AUGUSTINI regulam, ab Apostolica institutione repetendum esse.

2. Alterum quod adnotamus, spectat formam, quam in instituendis Metropolibus primi auctores secuti sint. Et quoad hoc quidem communis fere olim fuit Eruditorum sententia, in constituendis Ecclesiasticis Metropolibus secutos eos esse Civilem Imperii Romani formam, ut videlicet quæ in unaquaque Provincia Metropoles Civiles essent, eæ simul haberentur Metropoles Ecclesiasticæ; & Episcopi, qui in iis sederent, reliquos Provinciæ Episcopos honore, & jurisdictione præcederent: solamque ab hac regula excipiebant Ecclesiam AFRICANAM, cujus universæ Primas erat Carthaginensis Episcopus; & in cæteris Provinciis Metropolita habebatur, qui senior esset Ordinatione. Sed hanc sententiam, utcunque receptissimam, multis & omnigenis argumentis impugnavit doctissimus Abbas BENEDICTUS BACCHINIUS in Dissertatione *De Ecclesiasticæ Hierarchiæ Originibus*; & alia omnino via procedendum existimavit ad primam effingendam Metropolitici Juris originem. Scilicet pro summa illa sua in omni Antiquitate peritia hoc efficere nisus est,

Pe-

Petrum aliosque Apostolos in fundandis principibus Ecclesiis minime ad formam Romani Imperii respexisse, sed immo Judæorum Politiæ se accommodasse, habita ratione eorundem frequentiæ, ac prærogativarum; ita ut ubi illustrius frequentiusque Judæi habitarent regerenturque, ibi Sedes principes Episcopales collocaverint. Nostri non est instituti istud Bacchinii systema hic per partes explicare, vel, argumentis prolatis, confirmare, aut persuadere cæteris. Hoc unum animadverto, probatum illud fuisse ac cum plausu exceptum, imo & defensum contra DUPINIUM in tomis 22. & 23. Diarii *de' Letterati d' Italia* editi Venetiis ann. 1715. & 1716., auctore APOSTOLO ZENO, viro tota Europa notissimo. Ob hoc ipsum etiam commendant Bacchinium tum BENEDICTUS XIV. *De Syn. Dioeces. lib. 2. cap. 2. num. 2. & 3.* tum Ill. Dominicus MANSI *in Animadvers. ad cap. 8. lib. 1. Par. 1. Disciplinæ Thomassini*. Sed quod partem negantem attinet, qua ponitur, in prima Metropoleon institutione nullam Romanæ Civilis formæ habitam esse rationem, aliqua argumenta dabimus *infr. num. 16. & num. 25.*

3. His generatim positis de tempore institutarum in Ecclesia Christiana Metropoleon, & de forma, quam Institutores earum primi secuti sint; succedit modo inquisitio de ortu Metropoleon in Occidente. Ubi non illud putandum est, nos quærere de Metropolitici Juris origine in Occidente. Fuit enim hoc æque in Occidente antiquum ac in Oriente; & eminuit a prima Ecclesiarum Occidentis fundatione in Romano saltem Pontifice, qui cum erat Jure Divino

Primas Ecclesiæ Catholicæ, tum Ecclesiis a Romana natis præfuit Jure quodam Metropolitico, non illo quod modo cogitamus, ad unam Provinciam contracto, sed Jure Metropolitico amplissimo ad Provincias saltem plures protenso: de quo Jure Metropolitico *Majori* actum esse in celeberrimo Canone VI. Nicæno, sententia quoque fuit Ludovici THOMASSINI *in Discipl. P.* 2. *L.* 2. *C.* 8. *n.* 1. *&* *L.* 3. *C.* 40. *n.* 8. 9., *ac P.* 1. *L.* 1. *C.* 3. *n.* 4. *&* 5., & nos dicemus amplius non multo post. Scilicet cum istius Concilii tempore nullus ex Thomassini etiam sententia, in Alexandrina Dioecesi esset *verus* Metropolita præter Alexandrinum Episcopum, nullusque item in ITALIA saltem, præter Episcopum Romanum; quando in Canone VI. Nicæno comparatio instituta est Alexandrini cum Romano Episcopo, esse ista non potuit, nisi quoad Jus Metropoliticum supra Provincias plures. Hos Metropolitanos, qui late adeo præsiderent, ad avertendam verbi ambiguitatem appellare possumus *Metropolitanos Majores*, voce scilicet usurpata a PAGIO quoque *ad ann.* 325. *num.* 41. & a Natali ALEXANDRO *Diss.* 20. *in H. E. Sæculi IV.*, etsi diverso aliquanto sensu.

4. De Metropolitici itaque Juris origine in Occidente nulla hic itidem est quæstio; sed inquiritur solum de Motropoleωn illarum ortu, quæ essent super unam Provinciam, non, ut Romana & Alexandrina, super Provincias plures. In quo Viri doctissimi Benedictus Abbas BACCHINIUS *De Ecclesiast. Hierarchiæ Originib. Par.* 2. §. 12. *seqq.*, Antonius PAGIUS *ad ann.* 401. *num.* 49 -- 51., BALLERINII *in Par-*

tem

tem 2. *Dissertationis* 5. *Patris Quesnelli ad S. Leonem cap.* 5., & Pater DE RUBEIS tum *in Dissertationib. Var. Erudit. cap.* 21. tum in *Monumentis Eccles. Aquilejen. Cap.* 19. §. 4 – 6. non dubitant constituere, non in Italia tantum [quod jam THOMASSINO probatum vidimus] post dimidium Quartum Sæculum primas eo de genere extitisse Ecclesiasticas Metropoles, sed & in Galliis, Hispania, Britannia; ita ut anno 325., quo Nicænum Concilium celebratum est, nullos Occidens habuerit veros Metropolitas, sed unus omnium Ecclesiarum Occidentis Metropolitanus esset Romanus Pontifex; Episcopi vero omnes reliqui Occidentales eidem essent proxime & *immediate* subjecti. Itaque ad dimidium usque Quarti Sæculi Roma fuit unica Occidentis universi Ecclesiastica Metropolis, & Romanus Episcopus solus Ecclesiarum Occidentalium *Major* Metropolitanus. Cujus rei caussam discimus ex celebri Innocentii I. ad Decentium Eugubinum sententia; quod nempe *in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes nullus instituisset Ecclesias, nisi quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores constituissent Sacerdotes.*

5. Fere autem par Romano sub Nicænum Concilium adhuc erat Alexandrinus Episcopus. Et merito BACCHINIUS *loc. cit.* §. 14. affirmat, illud perspicue constare, Alexandrinum non Episcoporum modo Ordinationes, sed & quælibet alia Ecclesiastica negotia curasse; vel aliis suo arbitrio commisisse: adeoque in universam Dioecesim Metropolitano Jure fuisse usum. Quod non asserit ipse tantum, sed eximiis ex

anti-

antiquitate monumentis confirmat.

6. Et addi Bacchinio potest Henricus VALESIUS *in Observationib. Eccles. in Socratem & Sozomen. lib.* 3. *cap.* 5. *&* 6.; ne hic MANSIUM commemorem in *Nota ad Dissertationem laudat. Nat. Alexandri §. ult.* Hinc vero Leo Magnus cap. 3. epistolæ 129. ad Proterium Episcopum Alexandrinum, totius Ægypti Episcopos; suos Proterii *Comprovinciales* vocat; eo quod scilicet, uti Ballerinii in eum locum adnotant, pro una Provincia Ecclesiastica tota Ægyptus haberetur.

7. Ex his vero, quæ de Metropolibus Romana & Alexandrina modo sunt posita, facilis redditur interpretatio CANONIS VI. NICÆNI supra memorati, illius nempe Canonis celeberrimi ac tot doctissimorum Virorum disputationibus vexatissimi, quo edicitur ex interpretatione Dionysii Exigui, ut *antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ Episcopo pariiis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque Provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis.* Nempe ex iis intelligimus, Nicænum Canonem VI. componere Alexandrinum cum Romano Episcopo, ut hic universi Occidentis Metropolita erat; non Italiæ tantum. = Si quæratur, per Nicænum Canonem quodnam Alexandrini, & Romani Episcopi jus conferatur, an Metropolitanum, an Patriarchale; Respondendum est, ait BACCHINIUS *loc. cit. num.* 15., Metropolitanum cum Metropolitano comparari, at non Metropolitanum utcunque, sed Metropolitanum ad plures Provincias diffusum, cujus per ea tempora nullus ea pleni-

tudine

tudine fruebatur, quæ ad Romanum accederet, in Oriente, præter Alexandrinum =.

8. Nondum ſcilicet ætate Concilii Nicæni Jus Patriarchicum extiterat; cum, ut notum eſt, proprium *Patriarchæ* ſit pluribus præeſſe ſive Primatibus, ſive Metropolitanis, quos nullosdum Occidens viderat, nulloſque *vero germanoque* Metropolitico Jure præditos viderat Ægyptus. Adderem his, nomen *Patriarchæ* Nicæni ætate receptum in Eccleſiaſtico more necdum fuiſſe; & in Concilio primum Chalcedonenſi anno 451. uſurpatum eſſe ad illum ſignificandum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ gradum, qui ſupra Metropolitanos eſt & Primates. Sed cum de re quæratur, non de nomine; non morabor in hoc, quod & aliunde ſatis notum eſt.

9. Eccleſiaſticæ porro Metropoles Regionibus Occidentis, Roma præſertim diſſitis, invehi cœperunt tandem poſt Synodum Antiochenam, habitam anno 341., ſeu potius, uti Recentiores melius judicarunt, anno 332. Et hujus rei in cauſa fuit nonus hujus ejuſdem Concilii Canon, quo ita decretum fuerat, ex interpretatione Dionyſii Exigui: *Per ſingulas regiones Epiſcopos convenit noſſe, Metropolitanum Epiſcopum* [hoc eſt in civili Metropoli reſidentem] *ſolicitudinem totius Provinciæ gerere: propter quod* [ſeu *propterea quod*] *ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant*. Hunc Canonem cauſſam dediſſe mutando ſtatui Metropoleon, agnovit & PAGIUS *ad ann.* 401. *num.* 49. Scribit enim: = Prima innovatio [quoad Metropoles] in Concilio Antiocheno facta videtur; eo enim Epiſcopis jus in præcipuas

Urbes

Urbes aut Metropoles civiles Canone IX. attribuitur, quia *ad Metropolim undique, qui negotia videntur habere, concurrunt* =. Sed de hoc dicemus latius infr. *num.* 24. 26. & 32.

10. Per tempora itaque Synodi Antiochenæ, *in Occidente, Romanis Pontificibus liberaliter agentibus*, ait P. DE RUBEIS in Monum. Eccles. Aquilej. cap. 19. num. 6., *emergere cæperunt Metropolitæ, quibus Ordinationum ac Synodorum libera in ſuis Provinciis facultas tributa eſt*. Ac paulatim poſt hoc tempus, novis per Occidentem exorientibus Metropolibus, mutatæ ſunt res; ut quando ſuam Nicænorum Canonum breviationem RUFINUS adornabat, alia quaſi Eccleſiaſtici regiminis facta forma videretur. Quam ille quidem præ oculis habens, ita allatum Nicænum Canonem VI. reddidit: *Ut apud Alexandriam & in Urbe Roma vetuſta conſuetudo ſervetur, ut vel ille Ægypti, vel hic SUBURBICARIARUM Eccleſiarum ſollicitudinem gerat*. Ubi injecta a Ruffino in Canonem Nicænum *Suburbicariarum* mentio, controverſiæ illi agitatiſſimæ *de Suburbicariis Eccleſiis* occaſionem præbuit; abeuntibus doctis Viris in diverſa pro variis ſtudiis, aut varia Antiquitatis peritia. Qui optime ſibi conſuluiſſent, ſi animadvertiſſent, nullam ab eo rationem habendam eſſe interpretationis Rufini, qui veram Nicænorum Patrum mentem ſenſumque perſpectum habere vellet; quoniam Rufinus non ex Nicæni ætate, ſed ex ſua Canonem illum ſextum fuerat interpretatus. Hos ergo oportuiſſet tempora diſtinguere, nec rerum ſtatum qui erat Ruffini ævo, cum eo confundere, qui adhuc ſub Nicæno Concilio ſtabat.

11. Pro-

11. Profecto si isti novissent, nullas Occidentem habuisse Metropoles, quo tempore Nicænus VI. Canon conditus est, sed unum Romanum Episcopum in universo Occidente tenuisse locum Metropolitani, adeoque tum ibi nullum, una Romana dempta, fuisse Ecclesiarum discrimen, sed omnes proxime Romano Pontifici paruisse, nihilque fuisse Suburbicariis Ecclesiis impositum, quo non cæteræ quoque Occidentis Ecclesiæ tenerentur; onere illo se profecto liberassent, dum Canonem VI. Nicænum interpretari volunt, inquirendi de Suburbicariis Ecclesiis, quas RUFFINUS circa annum 400. ex more, qui suo tempore vigebat, quando jam in Occidente & in ipsa forte Italia Metropoles prodierant, illi Canoni inconsultus innexuit.

12. Sed ista nosse reservatum erat doctis Viris posterioris ætatis. Hinc etiam res apte distinxerunt; & apposite & vere alia via Canonem Nicænum interpretati sunt, alia paraphrasim Ruffini. Nicæni interpretationem habes *sup. num.* 7. Paraphrasin autem Ruffini assumens BACCHINIUS; &, quid *Suburbicariæ Ecclesiæ* fuerint, ad quas interpres ille respexerit, & quas peculiari jure sua ætate Pontifex regeret, explicaturus; statuendum existimavit loc. cit. §. 16., *ambigua illa Suburbicariarum Ecclesiarum voce, plurium Provinciarum Ecclesias illas RUFFINUM intellexisse, quæ alicubi sive intra, sive extra centesimum ab Urbe milliarium, sive in Italia, sive alibi sitæ Romano Pontifici tanquam Metropolitæ obediebant, sicuti Ægyptiacæ Provinciæ, vel Diæcesis Ecclesiæ, Alexandrinum Episcopum uti Metropolitam agnoscebant.* Atque eadem

ferme post Bacchinium scripsit Bernardus M. DE RUBEIS *num.* 6. *cit.* Suburbicariarum autem hoc sensu intellectarum fines facile ex iis colligentur, quæ dicenda erunt inferius, ubi Ordinationem plurium Italiæ Episcoporum Romano Pontifici, velut unico eorundem Metropolitæ, octo saltem sæculorum spatio asseremus. Suburbicariæ nempe Ecclesiæ, Eruditorum omnium consensu, erant eæ, quarum Episcopi a Romano Pontifice consecrabantur, aut consecrari *jure ordinario* sine controversia, & ex Canonum præscriptis poterant: qua quidem Ordinationis lege fiebat, ut iidem ad Romani quoque Pontificis Synodum specialem spectarent. Confer. inf. *num.* 15. 20. 33. 37. 39. 43 -- 48.

13. Sed ut ea, quæ ibi dicenda sunt, hic contraham in pauca; animadverto, constare nunc apud omnes, non modo Rufini ævo, sed & longe post usque ad octavum Sæculum, Romanam Ecclesiasticam Provinciam latissime excurrisse, ac amplissimam Italiæ partem suis finibus complexam esse, Thusciam, Picenum, Campaniam, Brutios, Apuliam, Calabriam, Corsicam, Siciliam, quarum omnium provinciarum unus Metropolita erat Episcopus Romanus: donec Iconoclastarum patronus Leo Isaurus Constantinopolitanus Imperator postremas inferioris Italiæ provincias, a Romana Metropoli avulsas, ad Constantinopolitanam Patriarchalem Sedem transtulit, ut iniquam Gregoriis II. & III. vicem rependeret, ob vindicatam contra ipsum Ecclesiæ fidem de Imaginum sacrarum cultu. Tunc enim Syracusæ; aliquantoque post Neapolis, Tarentum, Rhegium, Hydruntum, Capua, majoresque

Urbes

Urbes aliæ ſuos primum viderunt Metropolitanos. Horum pleroſque antiquiores facit Petrus DE MARCA *De Concord. Sac. & I. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 4.: ſed ejus argumenta non hujuſmodi ſunt, quæ movere jam quemquam debeant.

14. Ac per hæc tandem quæ de Metropoleon origine, & de Suburbicariis RUFINI hactenus diximus, videri poſſimus viam ſtatuiſſe obviam & facilem ad exponendum tum Canonem VI. Nicænum, tum Rufini Paraphraſim ſeu ad illum Canonem interpretationem; contra ac factum a doctiſſimis olim Viris, qui, obſervante VALESIO in *Obſervationib. in Socrat. & Sozomen. Lib.* 3. *cap.* 1., de Eccleſiis ac regionibus Suburbicariis acrius inter ſe contendentes, Rufini interpretationem potius, quam Canonis ipſius verba expoſuerunt.

CAPUT II.

Intra ITALIAM nullæ viſæ ſunt Eccleſiaſticæ Metropoles ante dimidium Quarti Sæculi.

15. Ut omnis de ſera Italiæ Metropoleon origine dubitatio tollatur, placet præcipuas earum recenſere, ac quo ſingulæ quæque tempore ortæ ſint, aperire.

Ineunte ſæculo IV. ad Metropoliticam dignitatem evectam nondum fuiſſe Eccleſiam AQUILEJENSEM, oſtendunt Bernardus DE RUBEIS *in Monumentis Eccleſ. Aquilejen. Cap.* 19. *num.* 1. & 2., & Benedictus BACCHINIUS *loc. cit.* §. 10.; & in eo conveniunt, factam fuiſſe Metropolim circa annum 369. in S.

Valeriano, qui rem Catholicam, Damaſo Pontifice, contra Arianos, quibus deceſſor Fortunatianus faverat, ſtrenue tuitus fuerat: unde laboris & impenſi præclari operis præmium tributum eidem fuit. Vid. De Rub. *ibid. cap.* 20. *§.* 2. & Dominicum GEORGIUM *De Ant. Ital. Metropol. cap.* 15. *p.* 139. *ſeq.*

At in Actis, ajunt, S. Hermagoræ, primi Aquilejenſis Epiſcopi, & in Chronico Aquilejenſi, Hermagoras dicitur factus a Petro Apoſtolorum Principe *Proto-Epiſcopus Provinciæ Italiæ*: conſtituiſſe per Urbes Presbyteros & Diaconos. In Synodo Mantuana an. 827. dicitur Hermagoras *Protos Italiæ Pontifex conſtitutus*, & Aquilejenſis Eccleſia *Matrix ſemper & Metropolis*. Ducitur itaque ab Apoſtolicis inde temporibus Metropolitica ejus Eccleſiæ dignitas.

Sane Hermagoras in allatis monumentis *protos-Epiſcopus* dictus eſt, non quia Metropolitico Jure potiretur, ſed quia primus in Venetia, & Iſtria, & in finitimis forte Provinciis Chriſti fidem docuiſſet, ac inſtituiſſet Eccleſias. Hinc Presbyteri cum Diaconis, qui rem Chriſtianam curarent, miſſi ab eo dicuntur, non Epiſcopi, ait P. DE RUBEIS. Sed demum Acta Hermagoræ ſunt ab hominibus imperitis aliquibus in locis interpolata & corrupta. Mantuana autem Synodus ex ſuo tempore & opinione, quæ vulgo pervaſerat, locuta eſt, quando in amplam creverat dignitatem Aquilejenſis Eccleſia. Sed cum de ortu Metropolis Aquilejenſis conſtet, non eſt cur his plura addamus. Vid. Bernardi De Rubeis *Diſſertationes Var. Erudition. cap.* 13. *&* 15.

In Ambroſio MEDIOLANENSEM Metropolim i-

nitia sua habuisse, quarto vergente sæculo ac post annum 374. quo renuntiatus est Episcopus, non licet amplius dubitare, postquam argumentis perspicuis a doctissimis Viris Abbate BACCHINIO *Op. cit. Par.* 2. *§.* 9. *&* 10., Ludovico THOMASSINO *Discipl. Par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 40. *§.* 9., & Bernardo DE RUBEIS *in Monum. Aquilej. c.* 19. *§.* 4. *& c.* 20. *§.* 1. demonstratum hoc est. Summa cura & intento studio, fædatas a decessore suo Auxentio hæresi Ariana Italiæ superioris Provincias, ad sanam doctrinam revocaverat Ambrosius. Hac data occasione, & tanquam in impensi beneficii memoriam, concedente Romano Pontifice, nova in Italica Diœcesi Mediolanensis Metropolis emersit.

Nonnulli hic tamen eo se recipiunt, ut dicant, Barnabam Apostolum Mediolani Ecclesiam & fidem posuisse; quod *fide certa atque indubitata* constare, affirmat Baronius *ad ann.* 51. *num.* 54. Id vero ex antiquissimis monumentis probari, ex epigraphe fontis cujusdam, ex quadam inscriptione, &c. Unde inferunt, ex Apostolica Barnabæ prædicatione derivanda esse Metropolitica Mediolanensis Episcopi Jura. Vid. Bacchin. §. 9. *cit.*

Sed, etsi daremus, Barnabam fuisse Ecclesiæ Mediolanensis fundatorem; non ex eo sequeretur, Metropoliticum pariter jus esse inde assecutam. Id enim docemur Ecclesiarum aliarum exemplo, quarum cum fundamenta posuerint sive Apostoli sive Apostolorum Discipuli, Metropoliticam tamen dignitatem minime sunt nactæ. Sane Apollinaris, ut scribit NORISIUS *de V. Syn. cap.* 10., Ravennæ fidem Christi

præ-

prædicavit, primusque nobilissimæ Urbis Episcopus fuit, & quidem eo a D. Petro missus, nec tamen Metropolim statim condidit. Ipse Petrus plures per semet Ecclesias erexit, ut tradit Sophronius in libello de Peregrinationib. & laborib. ejusdem Apostoli, verum Antiochiæ tantum, dein Romæ Patriarchalem Sedem erexit. Ita NORISIUS. Pariter ergo ex Mediolanensi Barnabæ Apostolatu non bene colligeretur Metropolitica Ecclesiæ illius prærogativa.

Sed quæcunque tandem pro origine Ecclesiæ Mediolanensis a Barnaba, proferantur; ea fabulosa & commentitia esse, vel stylus evincit, vel adjuncta alia persuadent, quæ BACCHINIUS *De Eccles. Hierarch. Originib.* cuique consideranda proponit. Agens pro concione adversus Auxentium Arianum decessorem suum Ambrosius: *Absit*, ajebat, *ut tradam hæreditatem Patrum, hoc est, hæreditatem Dionysii, hæreditatem Eustorgii Confessoris, hæreditatem Myroclis, atque retro fidelium Episcoporum.* = Prodigio simile est, ait merito Bacchinius, quod & Barnabæ hæreditatem non dixerit; sed nec de Barnaba, tanquam Ecclesiæ, ac Metropolis Mediolanensis primo Episcopo, verbum habeat Ambrosius, qui diversis in locis eundem Barnabam laudat =. Mihi aptius, *ait paulo post*, ad priorum Christianorum ingenium, concludendum videtur; primum Mediolanensem Episcopum, sive ille Calimerus fuerit, sive Anathalon, a Romano Episcopo ordinatum, missumque. Ita ab initio nullum ibi Metropolitici juris vestigium, sicut nec alibi per Occidentem. *Bacchin. P. 2. cit. num.* 9. *&* 10.

Pro eadem Mediolanensi Metropoli ajunt alii:

Aria-

Ariani, ut perhibet S. Maximus Taurinensis, Dionysio Mediolanensi primum in subscribendo locum detulerunt, licet senior ætate adesset Eusebius Vercellensis; hoc ei certe tribuerunt uti Metropolitæ, ut Norisius colligit *De Syn. V. cap.* 10. Ante Ambrosium igitur & medium quartum sæculum, & agente in vivis adhuc Athanasio, qui Dionysii meminit, Metropolitano Jure uti Mediolanensis cœperat.

Verum, si, quando hæc contigerunt, Mediolanensis Episcopus Metropolitica fuisset dignitate insignitus; questus non esset Eusebius, quod *filium sibi Dionysium* in subscribendo Ariani prætulissent. Suffraganeus enim Metropolitanum, *filium* nunquam dixit. Atqui de intercessione hac Eusebii testem habemus eum ipsum Maximum Taurinensem quem Adversarii laudant. Ariani itaque prærogativam Subscriptionis detulerunt Dionysio, quod eum, qui junior esset, facilius in partes suas trahi posse viderent; ut revera accidit. Et alia etiam accessisse potuit causa, ex dignitate Mediolanensis Urbis, cui Dionysius præerat, & quæ Sede Vicarii Italiæ gloriabatur, adeoque prima post Romam Urbs erat Italiæ. Notum est autem, injustæ causæ defensores quomodo, desperatis rebus, undecunque patrocinia sibi soleant accersere. Ad amplitudinem igitur Mediolanensis Urbis & Magistratus, a quo auctoritatem habituros se fore sperabant, respexerunt potius Ariani, quam ad primatum Mediolanensis Episcopi, quo tum minime potiebatur.

Hic vero sunt qui ex Vercellensis intercessione colligant, Ecclesiam Vercellensem fuisse Transpadanæ Italiæ ac Liguriæ Metropolim. Ita Rubeus in Histor.

Ec-

Eccles. Ravenn. Et querelarum quidem rationem habuerunt Ariani, *Dionysii chirographum delentes, & priorem locum subscribendi beato Eusebio deferentes*, ut idem tradit Maximus Taurinensis.

Eusebius non Jus Metropoliticum Arianis objecit, sed ætatis senium. Ei itaque tanquam seniori priorem in subscribendo locum concessere Ariani. Quanquam decepti sancte ab eo fuerunt; nam, eo pacto imprudenti Dionysii subscriptione correcta, dare postea nomen recusavit. V. NORISIUM *de quinta Synodo cap.* 10.

Per Leonem M. ad Valentiniani III. Imperiales preces, & Gallæ Placidiæ piissimæ Augustæ opera, RAVENNA, quod Regia tunc esset Civitas; in Joanne Angelopte, & successore ejus Petro Chrysologo Episcopis Ravennatibus, Ecclesiastica Metropolis facta est. Id luculenter probatum est ab Abbate BACCHINIO, qui data opera in originem Ravennatis Metropolis inquirit *De Eccles. Hierarch. Orig. Par.* 3., quem una cum Henrico NORISIO *in Dissert. De Syn. V.* sequitur Bernardus De RUBEIS in *Monum. Eccl. Aquilejen. cap.* 19. *§.* 4. Idem perhibet Christianus LUPUS in *Scholiis ad Can. Concil. to.* 6. *p.* 224.; & recentiorem hujus Metropolis originem fatetur quoque eruditissimus veteris & novæ Ecclesiasticæ Disciplinæ enarrator Ludovicus THOMASSINUS *Par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 40. *num.* 9.

Neque est quod quis hoc loco objiciat Gelasium I.; qui quinquaginta fere post Petrum Chrysologum annis, in Epist. 13. quæ est ad Episcopos Dardaniæ, Acacii Constantinopolitani præmortui, seu Græcorum

præ-

præsumptionem, ex Urbis dignitate eminentiam Sedis Constantinopolitanæ supra cæteras propugnantium, coarguit ab aliarum Ecclesiarum exemplo, affirmans, nec *Ravennam*, nec Mediolanum, nec Sirmium, nec Treviros, quod apud eas constitisset Imperator, *ultra mensuram sibi antiquitus deputatam quidpiam suis dignitatibus usurpasse*. Non est, inquam, quod ista quis objiciat, atque inde inferat, non tunc cœpisse Metropolitanum. Jus in Ravennate Ecclesia, quando Urbs illa facta est Sedes Regia, sed eodem loco stetisse, quo antea fuerat: & videri quidem a D. Apollinari Apostolorum discipulo id potius Jus duci debere.

Nam Gelasius quidem diuturna Augustorum præsentia mutatam aut auctam fuisse Ecclesiasticam Ravennæ formam, inficiatur; at non inficiatur tamen, Ravennam factam esse Metropolim tempore a nobis constituto & Imperatoribus tum Ravennæ consistentibus. Ravennatem Ecclesiam circa medietatem Sæculi quinti ad Metropoliticam dignitatem evectam esse, quando jam ibi Imperatores commorabantur, existimant Viri docti ante laudati. Pergentibus autem ibi Romanis Augustis sedere, non ideo ad majora, uti Constantinopolitani Episcopi per gradus fecerant, Metropolitani Ravennates aspirarunt. Non incongrue igitur, ad Constantinopolitanorum audaciam comprimendam, scripsit eodem sæculo quinto exeunte Gelasius, Ravennatenses Antistites ob Imperatoriam Sedem *ultra mensuram sibi antiquitus deputatam nihil suis dignitatibus usurpasse*. Hæc summa est prolixi responsi, quod post BACCHINIUM affert ad Gelasii locum Bernardus DE RUBEIS in *Dissert.*

Var. Erud. cap. 21. *num.* 5. & 6. Licet autem Hieronymus Rubeus in Hiſtoria Ravennate, aliique eum ſecuti, inde ab Apoſtolorum ætate Ravennam fuiſſe Eccleſiaſticam Metropolim, probare nitantur; id jam doctis omnibus improbatum eſt; poſtquam in ejus rei initia inquiſitum diligentius fuit.

Nihil magis apud Eruditos commune eſt hac ætate, quam, SYRACUSANAM Eccleſiam needum Gregorio M. ſedente, hoc eſt Sæculo exeunte ſexto, potitam Metropolitica dignitate fuiſſe. Extat Gregorii M. epiſtola quinta Libri 8. per plures Provincias miſſa, & Metropolitanis inſcripta Theſſalonicenſi, Mediolanenſi, Ravennati, Calaritano, & aliis multis; de Sicilia autem nuncupatur nulli ſpeciatim, ſed generatim tantum *omnibus Epiſcopis Siciliæ*: ad quæ verba Editores Benedictini adnotant, ſi Metropolitanum habuiſſent Siciliæ Epiſcopi, ad eum ſingulariter Gregorium directurum fuiſſe epiſtolam, uti ad Metropolitas cæteros; non *ad omnes Epiſcopos*. Subdunt autem: = Hinc itaque arguitur [quod aliunde multis argumentis probatum] Siciliam tunc Metropolitano caruiſſe = . Legas quoque eorum Notas ad epiſt. 1. libri primi. Si nulli tunc erant Metropolitani in Sicilia; ergo neque is erat Syracuſanus. Et hoc quidem inter cæteros validiſſime confirmant Henricus NORISIUS in *Hiſtor. Donatiſtar. Par.* 1. *cap.* 9., Bernardus DE RUBEIS in *Monumen. Aquilejen. cap.* 5. *num.* 2., Chriſtianus LUPUS in *Scholiis to.* 6. *p.* 224. & 382. Qui & in hoc præterea conſentiunt, metropoliticis juribus Syracuſarum Epiſcopum caruiſſe uſque ad Sæculum VIII., quando, ut *num.* 13. di-

ximus,

ximus, Iconoclaſtarum dux Leo Iſaurus Conſtantinopolitanus Imperator poſtremas inferioris Italiæ Provincias a Romana Metropoli avulſas, ad Conſtantinopolitanam Patriarchalem Sedem tranſtulit, ut iniquam Gregoriis Secundo, & III. vicem rependeret, ob vindicatam contra ipſum Eccleſiæ fidem. Tunc enim *quo novitatem firmaret*, ait LUPUS, *Syracuſas erexit in Eccleſiaſticam Siciliæ Metropolim, ac Italiam implevit novis & modicis Epiſcopis*.

Sed ad inſtitutum noſtrum hoc ſufficiat, Leone M. ſedente ſeu medio V. ſæculo, caruiſſe citra dubitationem ullam Metropolitæ prærogativa Syracuſarum Epiſcopum. Hoc vero apertiſſime ex ea neceſſitate conficitur, qua Siculi Epiſcopi tenebantur, ternos ex ſuis mittendi annis ſingulis ad Synodum Provincialem Romanam; quæ quidem, ne Epiſcopi iidem ſuis ab Eccleſiis aut diutius avocarentur aut ſæpius, per Leonem ipſum ad triennia ſingula coarctata eſt. Argumenti vim agnoſcis; quod & laudatis antea Scriptoribus id, quod volumus, perſuaſit, & præterea Ludovico THOMASSINO in *Veteri & Nov. Eccl. Diſcipl. Par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 40. *num.* 6. & 10.

CAPUAM Campaniæ Metropolim fuiſſe, diſertis verbis teſtatur Athanaſius; quæ tamen minuta capite priſtinam dignitatem circa annum nongenteſimum ſeptuageſimum recuperavit beneficio Joannis Papæ: ait Ill. DE MARCA in *Concord. Sacerd. & Imper.* Attamen ſecundum Cl. V. Dominici GEORGII ſententiam *De Antiq. Ital. Metropol. cap.* 7. ac Bernardi DE RUBEIS *num.* 2. *cit.* de Civili Metropoli Athanaſium intelligimus. Metropolitanam igitur creavit

primus Capuenſem Eccleſiam Joannes XIII. ſæculo X. Rem narrat Leo Oſtienſis Card. in Chronico Cœnobii ſui Caſinenſis: *Joannes Papa venit Capuam; & rogatus a Principe Pandulfo, tunc primum in eadem Civitate Archiepiſcopatum conſtituit, conſecrato ibi Joanne, fratre ejuſdem Principis, Archiepiſcopo*. Non diutius igitur laborandum eſt in Metropoleos Capuanæ origine inveſtiganda.

Sed Franciſcus ipſe HALLIERIUS, licet nobis adverſus, *De Sacr. Elect. & Ordin.* ex S. Leone M. docet, Capuanum, & reliquos earundem partium Epiſcopos auſos non eſſe ſine Romanæ Sedis auctoritate etiam leviora negotia terminare; ad Romana Concilia convenire debuiſſe; ex eorum Provinciis non unum, ſed omnes Epiſcopos ab eadem Sede ordinatos fuiſſe: quæ ſane, unum in iis partibus Metropolitani curam geſſiſſe Romanum Pontificem, ſatis ſuperque oſtendunt. Id vero Hallierius non ex S. Leone M. ſolum, ſed ex magno etiam Gregorio docere pariter poterat. Conſtat ſane, GREGORIUM tanquam ſupremum Campaniæ Metropolitam, Provinciæ iſtius Eccleſias per Subdiaconos rexiſſe. *Epiſt.* 35. *lib.* 3. *Edit. Bened.* per Petrum Subdiaconum Campaniæ, Neapolitanos monet, ut ex ſuis duos vel tres Romam mittant ad deliberandam cum Pontifice de Epiſcopo ſibi deligendo. Ad Fortunatum Neapolitanum ſcribens, eidem injungit non ſemel, ut monaſteria & baſilicas conſecret. Eundem *lib.* 9. *epiſt.* 75. ad Miſenatem Eccleſiam vacantem Viſitatorem delegat. Illud autem hic adnoto cum NORISIO *De Syn. quinta cap.* 10. *cit.*, Oratoriorum ac baſilicarum con-

ſecran-

ſecrandarum facultatem a Metropolita ſubditis Epiſcopis dandam fuiſſe: itemque deputare Viſitatorem Eccleſiæ ſuffraganeæ vacantis pertinuiſſe ad Metropolitanum. Plane itaque nulla erat Epiſcopi Capuani in Campaniam Metropolitica poteſtas. *Confer. ea quæ infr. habentur num.* 43. *ſeq.*

CALARITANÆ demum in Sardinia Eccleſiæ jus Metropoleos acceſſiſſe ante Gregorii M. ætatem, nos ejus docet epiſtola 8. libri noni *edition. laud.* At quarto Sæculo ineunte Calarim Metropolim Eccleſiaſticam fuiſſe, negamus. Calaritanus enim Epiſcopus ante Leonem M. cum reliquis Romanæ Diæceſis Epiſcopis ad Concilium Provinciale Romanum perpetuo acceſſit; *nec monumenta extant ulla*, *nec veſtigia Conciliorum*; *quatuor primis Eccleſiæ ſæculis in Sardinia habitorum*, ut THOMASSINUS narrat *§.* 8. *&* 9. *cit.*: quod contra factum eſſe debuit ſecundum Canonum præcepta, ſi tunc Calaritanus Metropolitica fruitus eſſet dignitate. *Vid. inf. num.* 48.

16. Contra has tamen Metropoleωn Italicarum origines ſubſidium ſibi nonnulli quærunt in Concilio ARELATENSI I., quod in cauſa Donatiſtarum habitum eſt an. 314. Silveſtro I. Pontifice. Cui Concilio ſubſcribunt inter cæteros, *Theodorus Epiſcopus*, *de Civitate Aquilejenſi*, *Provincia Dalmatia*; *Chreſtus Epiſcopus*, *ex civitate Syracuſanorum*, *Provincia Sicilia*; *Proterius Epiſcopus*, *de Civitate Capuenſium*, *Provincia Campania*; *Pardus Epiſcopus*, *de Civitate Arpienſium*, *Provincia Apulia*; *Merocles Epiſcopus*, *de Civitate Mediolanenſi*, *Provincia Italia*; *Quintaſius Epiſcopus*, *de Civitate Caralis*, *Provincia Sardinia*: tom. 1. Concilior.

lior. *edit. Venet. Coleti col.* 1453. Ajunt autem: Hi Episcopi, principes se subscribunt Provinciæ; non alia de causa, nisi quia erant Metropolitani. Quod si Civiles Provincias, aut Metropoles in Arelatensi indicari affirmes, non Ecclesiasticas; tuentur se dicendo, Veteres in constituendis Ecclesiasticis Metropolibus, Provinciarum Civilium rationem habuisse; ut quæ Metropolis esset Civilis, eadem & Ecclesiastica esset. Dum Civiles ergo indicantur Metropoles, oportet simul intelligas & Ecclesiasticas.

Sed minime his nos movemur. Ut enim singulis Provinciis Civilibus sui præessent Metropolitani, perpetuum non fuisse, Petrus DE MARCA, inter patronos sententiæ, nostræ huic oppositæ, facile princeps, fatetur *Concord. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 4. At addere his oportet, ex eruditorum Virorum sententia, & Benedicti BACCHINII *De Ecclesiasticæ Hierarchiæ Originib.*, vix Quarto Ecclesiæ sæculo, eoque adulto, Civilis Politiæ in Metropolibus Ecclesiasticis constituendis haberi cœptam esse rationem. Quod exploratum fit ex dissonantia, quæ ante Constantiniana tempora inter civile & ecclesiasticum systema passim occurrit. Constat profecto, Civile Italiæ regimen (de hac enim cum agamus, ab ea juvat nunc petere exempla) mutatum sæpius fuisse antenicænis temporibus, idemque præterea cum eo nunquam concordasse, quod Constantinus postea seu anno circiter 328. invexit. Late hoc prosequitur BACCHINIUS in laudata *De Originib.* Dissertatione Par. 2. §. 2 ÷ 4. At, si eos sequimur, qui ad Civilem Provinciarum formam volunt primas Ecclesiasticas Metropoles fuisse

consti-

constitutas; oportuisset regimen illud & semper ante Nicæna tempora stetisse una forma, & ab eo, quod postea Constantinus induxit, non discordasse. Dum ipsi enim dicunt, ad Civilem formam sub Apostolorum temporibus fuisse Ecclesiasticas Metropoles accommodatas, ad eam Civilem formam respiciunt, quæ fuit a Constantino invecta; adeoque id ponant necesse est, Civile regimen nullas primis sæculis vices passum esse, & neque id a Constantino mutatum. Atqui hoc perspicue pugnat cum omni antiquitate.

Sed si ad posteriora etiam tempora respexerimus, apparebit, constare sibi adversæ sententiæ defensores non posse. Compertum enim cuique est, post factam a Constantino novam Provinciarum divisionem, uni Magistratui plures paruisse Provincias. Sic Apulia & Calabria Correctori uni; Brutii & Lucani alteri suberant. Thusciam & Umbriam uni Consulari interdum paruisse constat. Eodem modo Consularis unus Æmiliam & Flaminiam quandoque rexit, Æmiliam etiam & Liguriam nonnunquam.

Est igitur dicendum, Ecclesiasticam Politian prima Ecclesiæ ætate nihil cum civili habuisse commune: secunda vero, & post Nicænum, serius id quidem, & alicubi tantum fieri cœpisse; universim vero obtinuisse nunquam, ut ad civilem formam Ecclesiastica exigeretur. Quæ cum ita sint, jure meritoque dicimus, nihil argumentum illud valere, quod ad Metropoles Ecclesiasticas probandas, ex Civili forma & modo desumi consuevit. Illudque præterea affirmamus, in ARELATENSI Concilio Civiles indicari Provincias aut Metropoles; neque id nobis nocere;

cum,

cum, Civili posita Metropoli, nulla sit necessitas admittendi simul Ecclesiasticam. Sed hæc confirmamus amplius *inf. num.* 25.

17. Sed instant iterum: Episcopi memorati, qui Synodo illi Arelatensi I. subscripserunt, vere Italicarum Provinciarum Metropolitani erant. Constantinus enim M. in Encyclica, qua eos vocat ad Synodum, singulis potestatem facit adjungendi sibi *duos alios Episcopos ex sede secunda*, idest duos Suffraganeos. Ita ad an. 314. num. 42. & 51. legit Baronius. Hæc illi.

Atqui tamen in textu Græco epistolæ Constantini ad Episcopos, seu; ut apud EUSEBIUM *lib.* 10. *cap.* 5., ad Chrestum Syracusanum Episcopum; nihil de Episcopis est, uti Baronio visum, sed de iis, *qui sunt secundi throni*, seu *secundi ordinis*. Horum autem nomine intelligendi veniunt Presbyteri. Apud Optatum Milevitanum *Diaconi in tertio*, *Presbyteri in secundo Sacerdotio constituti* dicuntur. In Appendice SIRMONDI ad Codicem Theodosianum *Leg.* 20. ab Impp. Theodosio & Valentiniano iidem Presbyteri appellantur *secundi Sacerdotes*. Gregorius Nazianzenus per presbyteratum *secundis* dicit *se in sedibus collocatum fuisse*. Sed hæc passim illustrant rerum Ecclesiasticarum tractatores; ex quibus ego, præter VALESIUM ad eam Constantini epistolam, unum appellabo GUSSANVILLÆUM ad Epistolam 79. libri 1. S. Gregorii Magni. Et placet tantum addere Jurisconsultum, nempe GOTHOFREDUM *ad Leg.* 5. *Cod. Theodosiani*, *De Hæreticis*.

18. Confugiunt etiam Adversarii ad Athanasium.

Hic

Hic nempe, inquiunt, in Apologia de Fuga sua num. 4. ait, in exilium opera & artibus Arianorum pulsos fuisse, inter cæteros *Dionysium Italiæ Metropolis Episcopum*, *Luciferum Insularum Sardiniæ Metropolis Episcopum*, *& Eusebium ab Italia Episcopum*. Et in Histor. Arianor. ad Monachos num. 33. *Claram*, ait, *edidere confessionem .... Lucifer Metropolis Sardiniæ Episcopus, Eusebius Vercellorum Italiæ Urbis, Dionysius Mediolani; est autem & ipsa Metropolis Italiæ*: tom. 1. Par. 1. pag. 322. & 363. *edit. Bened. Paris*. Opus utrumque anno circiter 358. scripsit Athanasius. Ex Athanasio itaque Lucifer Calaritanus, & Dionysius Mediolanensis erant Metropolitani; ex antiquo utique privilegio.

Verum si confici quid posset ex verbis Athanasii; hoc utique dicendum esset, Paulinum Trevirorum, cujus similiter eo loco cum cæteris meminit, totius Galliæ Diœceseos, in quatuordecim Provincias tributæ, Metropolitanum fuisse. Hoc vero quis somniaverit? Quemadmodum igitur Paulinus *Galliarum Metropolis Episcopus* nominatus est; quod Ecclesiam regeret Urbis Trevirensis, Imperatorum Sede, ac etiam Præfectura Prætoriana ævo illo honestatæ; ita reliqui appellati similiter sunt, quod Urbibus præessent, civili præfectura claris. Erat scilicet tunc Mediolanum sedes Vicarii Italiæ, qui jus dicebat septem Italicæ superioris Regionis Provinciis (quæ proprio *Italiæ* nomine venire solent non raro post Constantini tempora apud quarti, quintique sæculi Scriptores); cum reliquas decem Provincias in inferiori Italia positas moderari pro munere suo ad Vicarium, Romæ degentem, spectaret. Nec reliquis Urbibus sui deerant

nobiliores Magiſtratus; ſicuti nec deerat Capuæ, quam idem propterea Athanaſius num. 20. Hiſtor. Arianor. *Metropolim* dicit *Campaniæ*.

Ad Provinciarum & Urbium civilem diſpoſitionem reſpexiſſe Athanaſium, hoc etiam conficitur argumento. Ariminum *Italiæ* Urbem vocat; Italiæ ſcilicet ſtrictius ſumptæ. Atqui exploratum eſt, Ariminum cum Piſauro aliiſque Piceni Annonarii Civitatibus, Romano Pontifici tanquam Metropolitano & ea ætate, & longe poſt, Gregorio M. ſedente, paruiſſe. Quod igitur Italicæ Diœceſi Ariminum Athanaſius deputet, in cauſa eſt, quod Urbs illa ſub civili Diœceſis Italicæ regimine, & ſub Vicario Italiæ Mediolani degente poſita eſſet; & quod civiles Præfecturas, ut ſæpe alias, ita ibi ob oculos habuerit Athanaſius. Vid. PAGIUM *ad ann.* 332. *num.* 5. DE RUBEIS in *Monum. Aquilejen. cap.* 19. *num.* 5. & BACCHINIUM *in Origin. Par.* 3. *§.* 7.

19. Sed paulo plauſibiliora videamus. Objicit enim Theodoricus RUINART *cap.* 13. *§.* 4. Diſſertationis *De Pallio Archiepiſcopali* in to. 2. Oper. Poſthum. Gregorius M. ad Johannem Ravennatem Epiſcopum ſcribens, qui Pallii ſibi uſum in litaniis præter aliorum Antiſtitum morem arrogabat; eum ad Metropolitanorum exempla ſectanda in Pallio utendo remittit lib. 2. ep. 54. [nunc lib. 3. ep. 56.]. Et paulo ſuperius in eadem epiſtola jam dixerat, nullum pene Metropolitanum in totis mundi partibus inventum fuiſſe, qui Pallium ſibi extra Miſſarum ſolemnia vindicaſſet. Quomodo autem Epiſcopus Ravennatenſis ad aliorum Metropolitanorum exempla remitteretur, ſi

nul-

nullus in tota Italia præter MEDIOLANENSEM & AQUILEJENSEM, ætate Gregorii Metropolitanus fuisset? Erant ergo tunc in Italia, præter hos, alii Metropolitani; & hujusmodi erant sine dubio Episcopi Syracusanus, Panormitanus, Messanensis, & Salernitanus.

Contra hæc tamen animadvertendum est, Gregorium M. pro ea Ravennatis Antistitis caussa finienda, Diacono suo apud Constantinopolim moranti in mandatis dedisse, ut inquireret diligenter an Metropolitani Orientis Pallio uterentur non modo intra Missarum solemnia, sed etiam *in litaniis*, seu solemnibus cleri & populi ad locum pro statione indictum processionibus; prout in epistola 15. libri 5. Epistolarum Gregorii legimus; quæ epistola est ad eundem Johannem Ravennatem scripta. Quid autem opus fuisset hoc tam longe arcessere, si multi per Italiam tunc fuissent Metropolitani vel in ipsa Urbicaria Diœcesi constituti? Accedit quod, cum de quæstione illa inter Gregorium & Ravennensem agatur in ejusdem Gregorii epistolis 56. & 57. Libri tertii, item in 11. & 15. citata Libri quinti, & in 56. ejusdem Libri ad Marinianum Johannis successorem; in 34. & 61 Libri sexti, & alibi; Gregorius tamen in illis tam multis epistolis nunquam contra Ravennæ Episcopum appellat exemplum Metropolitanorum Italiæ: quod sane mirandum esset, si plures hic fuissent Metropolitani. Patet ex his, illud quod pro sua caussa Ruinartius attulerat, a nobis meliori jure ad nostram trahi posse ac debere.

20. At urget in eadem elaboratissima Dissertatione

Vir doctus: Ideo Urbicariæ Italiæque Episcopi putantur non fuisse Metropolitani primis Ecclesiæ sæculis, quod tunc admodum arcta esset ipsorum in sua Provincia potestas; & omnia a Pontifice Romano agerentur; qui scilicet convocaret Concilia, viduatis Ecclesiis daret Visitatores, consecraret Episcopos, controversias componeret, cæteraque exequeretur, quæ Metropolitanæ auctoritatis erant. Atqui hoc non id probat, quod Adversarii volunt. In Patriarchatibus enim Orientis similiter, ubi multi erant sine dubio Metropolitani; Patriarchæ, præcipue Alexandrinus & Antiochenus, ea omnia in Metropolitanorum Provinciis, salvo istorum ordine, peragebant quæ modo recensita sunt. Pariter ergo poterant esse in Italia & in Suburbicariis Metropolitani, etsi arctis admodum limitibus potestas eorum contineretur.

Nos vero ea quæ Ruinartius de Patriarcharum Orientis auctoritate in Metropolitanorum [si ita quidem appellare illos placet] Provincias perhibet, rata habemus, & docti Viri, qui de hac re scripsere, in id ipsum consentiunt, BACCHINIUS nempe in *Originib. Par.* 2. *§.* 14., PAGIUS *ad an.* 325. *num.* 42. & alii plures. Sed jure dubites, an ab Orientalium exemplo argumentum duci possit ad Occidentales. Omnino autem, cum compertum nunc sit inter Eruditos, Ravennam quinto sæculo, Mediolanum & Aquilejam sæculo quarto ad finem vergente in Metropoles assurrexisse; Syracusas autem & alias plures Ecclesias Diœcesis Urbicariæ nonnisi Sæculo VIII.; exemplum Metropolitanorum Orientis satis non est ut nobis persuadeatur, has Italiæ Ecclesias ante an-

nota-

notatum tempus Metropolitica decoratas fuisse dignitate, multoque minus ante Nicænum I. Concilium, aut hujus etiam Concilii tempore; quod Ruinartio placuisse, non semel orationis ejus modus indicat. Nimirum ex probabili argumento, quale est illud quod ab Orientalium exemplo petitur, non id est impetendum, quod certum est. Certum autem nunc est, non ante id tempus quod nos modo ponebamus, memoratas Metropoles ortas esse.

Præter hæc, videmus ampliata esse privilegia Episcoporum superioris Italiæ quarto vergente sæculo. Ideo scilicet id factum fuit, quia in ea Italiæ parte tunc primum, pluribus Ecclesiis a Diœcesi Urbicaria avulsis, visi sunt Metropolitæ Mediolanensis & Aquilejensis. Tunc permissæ sunt Mediolanensi Ordinationes Episcoporum, tunc item Aquilejensi. Tunc ab iis cœperunt Synodi congregari, tunc viduatis Ecclesiis Visitatores dari; & alia exerceri jura, quæ Metropolitanorum sunt propria. Vid. præ cæteris Bern. DE RUBEIS in *Monument. Aquilejen. cap.* 20. Hæc profecto suadent, tunc primum ibidem fuisse exortos Metropolitanos, & veros quidem Metropolitanos, non autem ad formam Orientalium illorum Patriarchatus præsertim Alexandrini, quos, quia exercitio Metropoliticæ auctoritatis destituti erant, vix pro Metropolitanis habent BACCHINIUS & THOMASSINUS, ille quidem §. 14. *cit.*, hic in Discipl. *Par.* 1. *Lib.* 1. *Cap.* 3. *num.* 5. & 7.

21. Restat, ut respondeamus argumento, quod ex Concilio Nicæno petunt alii. Isti enim ajunt: Concilium Nicænum I. jubet Canone 5., *annis singulis*

per

per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari. Hæc peragi rite ſine Metropolitano convocante, ac præſidente non poſſunt.

Sed his occurrimus facile. Nam quando Nicæno Canone conſtitutum fuit, bina annis ſingulis habenda Concilia ad deliberandum de iis, qui communione privati eſſent a ſuo Epiſcopo; perinde fuit ſive de ea re quæreretur in ampliori plurium Provinciarum Synodo, ſive in unius Provinciæ Epiſcopali conventu. Convenerunt autem, priusquam Metropoles in Italia erigi cœperunt, in Romanam Synodum univerſi Italiæ Epiſcopi, Metropolitam agente Romano Pontifice; ut bene docent confirmantque BACCHINIUS in *Originib. Hierarch. Par.* 2. *§*. 7. 8. & 11., THOMASSINUS *Diſcipl. Par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 40. *num.* 7 – 10., & P. DE RUBEIS in *Monument. Aquilej. cap.* 19. *num.* 3. 4. Neque mos iſte, Eccleſiaſticæ Diſciplinæ adverſabatur; aut fuit per Nicænum abrogatus: eidem immo faviſſe Nicæna Synodus dicenda eſt, cujus quippe Canone VI. conſtitutum fuerit, *ut ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis*. Erat autem & fuerat hoc Romani Epiſcopi jus & privilegium, ut, nondum per Italiam Metropolibus enatis, in ejus Romanam Synodum omnes ſimul congregarentur Italiæ Epiſcopi. Quintus itaque Nicænus Canon nihil cogit, ut ſingulis Provinciis ſinguli præſint Metropolitani. Vid. *inf. num.* 48.

22. At illi hic nos provocant ad Bonifacium Papam; qui in epiſtola ad Hilarium Narbonenſem anno 422. data, negat, ſecundum Nicænorum Canonum verba decere, *cuiquam duas eſſe ſubjectas Pro-*

vin-

vincias; *sed per unamquamque Provinciam jus Metropolitanos singulos habere debere*. Per Nicænum itaque, Bonifacio teste, nulli super plures Provincias esse licet, sed sua cuilibet Metropolitano deputanda Provincia fuerat.

At sane nihil tale, paribus verbis expressum, invenitur in Nicæno Concilio, neque in ulla antiqua hujus Concilii versione Latina, nec in abbreviatione Canonum Nicænorum a Rufino edita; immo nec inter Canones Sardicenses, qui sub Nicænorum nomine a Romanis Pontificibus allegati sunt non semel. In Canonibus equidem Nicænis, quarto & sexto, Metropolitani Provinciam administrantis est mentio; & ad hos forte Canones respexerit Bonifacius in causa tum ad se delata Ecclesiarum Arelatensis & Narbonensis. Ut ut res est; regulam, quam eo in negotio adhibuit Bonifacius, non adhibuere Romani Pontifices aut præcessores, aut successores, ut oppositam improbarent disciplinam, si alicubi foret; qua scilicet unus Metropolita nedum duabus, sed pluribus Civilibus Provinciis in Ecclesiastica re præsideret. Vid. COUSTANTIUM in eand. epistol., BALLERINIOS *in secundam Part. Dissertationis* 5. *Quesnell. Cap.* 6. *num.* 5. *&* 6. & DE RUBEIS *Dissert. Var. cap.* 21. *num.* 4.

CA-

CAPUT III.

Non in Italia solum [quod superiori Capite vidimus], sed & in GALLIIS, in HISPANIA, BRITANNIA, post medium Quartum Saeculum primae extitere Ecclesiasticae Metropoles.

23. De Metropoleωn origine in OCCIDENTE extra Italiam audire primo juvat PAGIUM *ad annum* 401. *num.* 50. *& seq.* = Quoad GALLIARUM Metropoles, ait, nihil eruere hactenus potui, quod ostendat, ante Constantini M. Imperium Metropolitanos in Galliis aliquo jure potitos esse. Quare sicut in HISPANIIS ante Concilium Eliberitanum & Constantiniana tempora nullae fuere Metropoles Ecclesiasticae, licet in iis essent Metropoles Civiles; ita & in Galliis ante Constantini Imperium nullas Metropoles Ecclesiasticas fuisse autumo = . Prae caeteris autem ex antiquitate monumentis, quae in istius rei confirmationem proferri possent, hoc unum ex eo seligo. Monet enim ille, Cyprianum de Marciano Arelatensi Episcopo in Novatiani errores nuper lapso scribentem ad Stephanum Romanum Pontificem, significare Episcopos Lugdunensem, Arelatensem, caeterosque Gentis illius *in eadem Provincia esse constitutos*; idest pares omnes esse; nulla ratione habita divisionis quatuor Galliarum, quae tamen adhuc obtinebat.

Si vero ab aetate Cypriani seu a dimidio tertii Sae-

culi

culi accedimus ad initia Quarti, adest tunc item nobis monumentum ad id confirmandum quod volumus; nempe Canon 20. Synodi Arelatensis anno 314. celebratæ, cui ex Hispania quoque adfuere Episcopi: *De his*, ajunt Patres, *qui usurpant sibi quod soli debeant Episcopos ordinare, placuit ut nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis secum aliis septem Episcopis. Si tamen non potuerit septem, infra tres* [al. leg. *sine tribus fratribus*] *non audeat ordinare:* to. 1. Concil. *ed. Ven. Coleti col.* 1453. = En Episcopos omnes [subdit tum merito, tum fidenter Cajetanus CENNI Antiquit. Hispan. to. 1. Differt. 2. cap. 3. num. 4.] & in Galliis & in Hispaniis pari prorsus auctoritate insignes =. Metropolitani præterea hic non appellantur, ajunt BALLERINII *in* 2. *Part. Differt.* 5. *Quesnell. cap.* 5. *num.* 7., uti vocantur in Conciliis Orientalibus Nicæno, Laodiceno, & Antiocheno: eo quod nondum per hæc tempora certi Metropolitæ jure Ordinationum præditi essent in Gallicanis Provinciis, ut in Orientalibus reperiebantur.

14. Sunt vero, ait Bernardus M. DE RUBEIS in *Monum. Eccl. Aquilejen. cap.* 19. *num.* 5., qui non inepte arbitrantur, novas Ecclesiasticas Metropoles in his præsertim Roma dissitis in Occidente regionibus facilius invehi cœpisse post Synodum Antiochenam anno 341. (seu 332.) habitam, cujus Canone IX. ita decernitur: *Per singulas regiones Episcopos convenit nosse, Metropolitanum Episcopum* (hoc est in civili Metropoli sedentem) *solicitudinem totius Provinciæ gerere: propterquod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant.* Ubi dignum est animad-

versione, ait idem eruditus Vir, non fulciri decretum exemplo & præscriptis Veterum; sed conveniente dumtaxat ratione, propterea quod *ad Metropolim* (Civilem) *omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant*. Hinc recte PAGIUS *loc. cit.* num. 49. de Metropolibus generatim tum Occidentis tum Orientis verba faciens affirmat (ut *sup. num.* 9. vidimus), primam quoad Metropoles innovationem in eo Concilio Antiocheno factam videri; utpote quo Episcopis jus in præcipuas Urbes aut Metropoles Civiles attribuatur, quia *ad Metropolim undique, qui negotia videntur habere, concurrunt*. Causam tamen, nisi fallimur, huic rei dare quoque potuit ipsum Concilium I. Nicænum, a quo jussi sunt Episcopi Concilia frequentius celebrare. Etenim cum Comitia hæc, quæ jubet Synodus celebrari, commodius in Metropoli sæculari, quam in aliis Urbibus haberentur, oriri inde potuit jus fixum & perpetuum earundem sæcularium Metropoleωn; propagatumque postea est ac firmatum post editum laudatum Antiochenum Canonem: cum superiori ætate jus illud, ex Patrum instituto, plerumque ad antiquiorem deferretur Episcopum, ut etiam probaturi sumus *infr. num.* 36. & 51 -- 55.

25. Sed sunt multi, qui minime istis assentiantur, existimantes, non modo in Oriente, sed neque in Occidente Metropoli ulli Civili Metropolitanum unquam defuisse Episcopum. Hi nituntur illi doctorum Virorum sententiæ, quæ habet, ad Civilem Politian conformatam fuisse Ecclesiasticam in Metropolibus constituendis. Ex quo colligunt, cum non in Oriente solum, sed etiam in Occidente multæ in Imperio

Ro-

Romano Metropoles Civiles fuerint vel ipsa Apostolorum ætate; agnosci ibi pariter debere Metropoles Ecclesiasticas vel ab ipso Apostolorum ævo.

Istis vero nunc respondendum est aliquanto diligentius, quam supra *num.* 16. fecimus. In prima Metropoleon institutione nullam Romanæ Civilis formæ habitam esse rationem, docet confirmatque BACCHINIUS in elaboratissima illa Dissertatione *De Eccle- siast. Hierarchiæ Originib.*; frequentius fuisse prætermissam, ostendunt Dominicus GEORGIUS *De Ant. Ital. Metropolib. cap. ult.*, NORISIUS *De Syn. quinta cap.* 10. *med.*, BALLERINII in *secundam Part. Dissert. quintæ Quesnelli cap.* 5. §. 12. & 14., P. DE RUBEIS, Ant. PAGIUS, & alii allegati ab istis. Sed ne solo verbo niti videamur, demonstremus, plurimum interfuisse Ecclesiasticam inter & Civilem formam, nonnullis dissonantiæ istius allatis exemplis.

Orientalium & Occidentalium Ecclesiarum meminit Clemens Romanus Apostolorum synchronus: meminit Orientalium, velut ab Occidentalibus distinctarum, Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ medio tertio Sæculo Episcopus. At in Imperio nulla Orientalium & Occidentalium Regionum discretio fuit trium priorum sæculorum spatio; nam *Politica Imperii in Orientale & Occidentale divisio antiquissima ea est*, ait BACCHINIUS *Par.* 1. *cap.* 3. §. 20. Petro De Marca in hoc consentiens, *quæ Constantio & Galerio auctoribus, circa quarti sæculi christiani initia facta fuit*. Itaque distinctionem illam ex ecclesiastico qui tum obtinebat typo, non ex civili, accepisse Clementem consequens est. Hanc autem Orientalium & Occidentalium Ecclesia-

rum distinctionem, rei fuisse, non nominis tantum; ex utriusque Ecclesiæ diversis moribus & characteribus, qui primis viguere sæculis, demonstrat BACCHINIUS §. 20. *cit. & seq.*

Norunt omnes, Alexandriam Ægypti secundum dignitatis honorem semper obtinuisse in sacra Politia. At contra, si Ecclesiarum dignitas ad formam Politiæ Civilis ordinata esset, Alexandrinæ Ecclesiæ oportuisset præferri Antiochenam, quod Antiochia esset Magistratu superior. Semel enim per Augustum divisis Romani Imperii Provinciis, & earum aliis Senatui relictis, aliis Imperatori reservatis una cum Ægypto & Alexandria; jam non Proconsules aut Proprætores ex Senatorio Ordine, Augusti mittebant Alexandriam, sed ex ordine Equestri Præfectos Augustales, qui quasi Procuratores Cæsaris habebantur, ad tributa & vectigalia (quod munus Procuratorum erat) colligenda. vid. BACCHINIUM *Par.* 1. *cit. cap.* 1. *num.* 13. *seq.*

Ipsi præterea Metropolitæ tum in Oriente, tum, post Metropoles institutas, in Occidente, extra limites suæ Provinciæ Civilis habuere subjectos Episcopos; ideoque in Metropoleon Ecclesiasticarum finibus designandis nulla Civilis ordinis est habita ratio. Sane post eam factam ab Octaviano Augusto Provinciarum partitionem, Ægyptus Augustalis erat; Cyrenaica autem sive Pentapolis, & Libya Mareotis Ægypto contermina, ad Senatum pertinebant. At Ægypto & Ecclesiæ Alexandrinæ has Provincias adjunxere Metropoleon sacrarum institutores.

Per Occidentem vero, post id tempus quo Eccle-

siasti-

ſiaſticæ iſtitutæ ſunt Metropoles, non eoſdem harum fuiſſe fines, qui erant Civilium; frequentibus doceri poſſet exemplis, quæ *locis cit.* congerunt NORISIUS, Dominicus GEORGIUS, & alii. Unum tamen aut alterum hujus rei exemplum mox dabimus.

Si primi Eccleſiæ parentes in Metropolibus diſtribuendis ſe ad Civilem Politian conformaſſent; hoc ſane illorum exemplo hacque vetuſta traditione ſe tuiti eſſent Patres Antiocheni ſupra memorati, quando eo Canone IX. Epiſcopis cæteris propoſuere audiendos Epiſcopos, qui ſedem in Metropoli Civili obtinerent. Atqui non exemplum aut præſcripta Veterum ſunt ab iis in lati decreti patrocinium allegata, ſed ſola opportunitas quam ad negotia etiam Eccleſiaſtica agenda Metropolitana Civitas ſuppeditaret. Tunc ergo primum pro hierarchici Epiſcoporum juris regula, Civilis Imperii forma eſt accepta; non autem multo ante a primis Metropoleon inſtitutoribus adoptata.

Ad quam rem tria in Faſtis Eccleſiaſticis ſæculi quarti ac quinti ſe nobis offerunt conſideranda. Primum, non ſemel hoc tempore Patres Eccleſiæ profeſſos eſſe ac proteſtatos, ordinem Metropoleon Eccleſiaſticarum *ad mobilitatem mundanarum neceſſitatum commutandum non eſſe*, ut Innocentius I. ad Alexandrum Antiochenum ſcribebat; ſeu, diviſis Imperiali judicio Provinciis, non eſſe Metropoleon Eccleſiaſticarum augendum numerum. Secundo, iiſdem ſæculis per occaſionem mutati ordinis Civilis ortas eſſe inter Epiſcopos de jure Metropolitico concertationes; contra autem, etſi per priora tria Chriſtianorum ſæcu-

la

la Forma Civilis immanes passa est vices, nullum tale inter Episcopos extitisse dissidium. Quid hæc autem significant, nisi sæculis quarto & quinto rem novam fuisse, ut formæ Civili Ecclesiasticæ Paroeciæ aptari deberent? Vid. BACCHINIUM *Par.* 1. *cap.* 3. *num.* 26. *seq.* & Confer. *inf. num.* 30. *seq.*

Tertium quod ex quarto & quinto Ecclesiæ Sæculo nobis sumimus considerandum; est quod nec eo quidem tempore seu post Antiocheni Concilii judicium sententiamque, nisi raro, ad Provinciarum ac Metropoleon Civilium formam Ecclesiasticæ quæ de novo instituerentur Metropoles, accommodatæ sint. Ad quam rem illustre ex Galliis nobis suppeditant exemplum *loc. cit.* BALLERINII. Solida enim Provincia Narbonensi a Constantino, ut videtur, divisa in Provincias quinque, Viennensem, Narbonenses duas, Alpes maritimas, & Alpes Grajas; Narbonensis secunda, Alpes maritimæ, & Grajæ diutius proprio Metropolitano expertes, Arelatensi, vel Viennensi Metropolitæ subjectæ fuerunt. At, si ad formam Politiæ Civilis ordinati essent Ecclesiastici gradus, totidem Provinciæ Ecclesiasticæ, ac Metropolitæ totidem constitui debuissent in quavis harum Provinciarum Metropoli. Hujusmodi alia exempla suppeditat nobis Italia per institutas ibi Metropoles Mediolanensem, Aquilejensem, & Ravennatem; quæ sunt perspicua ex iis quæ dicebamus *Cap.* 1. & 2., & de quibus videre etiam licet NORISIUM & Dominicum GEORGIUM *locis annotat.* Quid hoc autem significat, nisi rem recens institutam, quæ nonnisi paulatim in mores transit? quid inquam hoc significat, nisi illud no-

vum

vum fuisse institutum, ut Metropoles Ecclesiasticæ accommodarentur civilibus?

Sufficere ista jam puto ad probandum, immerito prorsus ad formam Imperii Scriptores confugere, ut Metropoles Occidentis Sæculo Quarto antiquiores adstruant; quasi ubi Metropolis civilis esset, ibi Metropolim Ecclesiasticam simul esse oportuerit.

26. At inquiunt: Decernens Antiochena Synodus sæpe memorata, Episcopo in Metropoli Civili sedem habenti, Metropolitani honorem deferendum esse, asserit, *secundum antiquam a Patribus nostris regulam constitutam* id esse. Medio itaque quarto Sæculo antiqua Patrum traditio habebat, ut Metropolis Civilis Episcopus esset Metropolitanus: adeoque, ostensa Metropoli Civili, ibi Ecclesiasticam simul fateri oportet.

Sed illa Antiocheni Canonis IX. verba intelligenda sunt de honore, qui Metropolitano Episcopo universim debetur; non de honore qui debitus sit Metropolis civilis Episcopo, tanquam Provinciæ Metropolitano *nato*, ut ajunt, seu necessario. Decretum namque est Canone IX. Antiocheno, honorem Metropolitani tribuendum esse Metropolis civilis Episcopo, quod ita fieri deceret pro rerum agendarum opportunitate; quod scilicet ad Metropolim Civilem omnes undique negotiorum caussa concurrant: simul enim poterant cum Urbis Metropolis Episcopo Ecclesiastica opportune tractari. Jam si de antiqua illa Patrum regula, quæ modo allegatur, Antiochenis constitisset, hanc protulissent sane, non illam quæ tantæ novitati minus forte conveniens videri posset. Dum

ergo

ergo in eodem Canone honorem Metropolitano ex antiqua Patrum regula debitum inculcant, de Metropolitanis universim accipiendi sunt, non de solis illis qui Metropoli civili præsideant; qui sane honos in gravioribus præsertim negotiis, ut nihil Metropolitano inconsulto fiat, exhibendus eisdem est *secundum antiquam a Patribus constitutam regulam*.

Dicere etiam possumus, Patres Antiochenos id pro antiqua Patrum regula habuisse, quod jam videbant frequentibus in locis invectum aliquo ante tempore sive consuetudine sive casu potius quam consilio, ut potior scilicet haberetur ratio Episcopi residentis in Metropoli civili quam alibi. Vid. sup. *num.* 24.

Cæterum primum Canonis hujus Antiocheni membrum, quo decernitur Metropoles sæculares fore in posterum Metropoles Ecclesiasticas, Concilium Chalcedonense non censuit confirmandum: immo vanitati quorundam Episcoporum, ex nova Urbis suæ dignitate præeminentiam in Provincia affectantium, modum poni oportere existimavit *Canone XII.* Neque enim afferri contra posse puto Canonem ejusdem Concilii XVII.; quem Canonem de finibus Paroeciarum seu Diœcesum Episcopalium, non de Metropolitarum gradibus intelligendum existimo. vid. etiam in *Act.* 4. *Chalcedonensi* actionem de Photio Episcopo Tyri, & Eustathio Episcopo Beryti. In istius Canonis XVII. interpretatione in summa conveniunt nobiscum THOMASSINUS *Discipl. Par.* 1. *Lib.* 1. *cap.* 39. & Dominicus MANSI in *Animadversionib.* ad hoc Thomassini Caput.

27. Nunc quomodo feram Metropoleωn originem in Occidente impugnent ab exemplis videamus. Pri-

mo

mo asserunt, Lugdunensem Episcopum jam inde a secundo Ecclesiæ sæculo Metropolitanum fuisse. Irenæum enim, ut Eusebius auctor est *Hist. Eccl. Lib.* 5. *Cap.* 24., in controversia de Paschate epistolam dedisse ad Victorem Romanum Pontificem *nomine fratrum, quibus præerat in Gallia*, ut vertit Henr. Valesius. Erat autem Irenæus LUGDUNI Episcopus: &, si aliis Episcopis præerat, erat procul dubio Metropolitanus.

Sed hæc non magnopere urgent. Ex græco EUSEBII textu, & ex sermonis varia phrasi, quam, de Orientalibus Episcopis, & de Occidentali Irenæo verba faciens, usurpat Eusebius; colligunt doctissimi Viri QUESNELLUS *in S. Leonem Diss.* 5. *Par.* 1. *cap.* 13., BACCHINIUS in *Originib. Par.* 2. *§.* 1. & MASSUETUS in *Vita S. Irenæi num.* 13 -- 16., vicinis Lugduno Civitatibus non Episcopos illa ætate jus dixisse, sed Presbyteros; hisque præfectum intelligi debere Irenæum Episcopum. Scilicet tum nondum perfecte constituta fuerat Ecclesiastica Galliarum Politia. Quare *fratrum* nomine, quibus Irenæus præerat, intelligunt Clerum Lugdunensis Ecclesiæ, cæterosque Presbyteros, quos ad alias vicinas regendas Ecclesias Irenæus direxerat. Probabilis sane responsio, nec suis destituta momentis. Vid. & V. Cl. Guadagnini Diatrib. *De antiq. Paroeciar. origine* Par. 1. Cap. 2. Sect. 12. num. 3.

Sed *fratres* illi fuerint Episcopi; per me licet; immo libenter assentior tum VALESIO *in caput.* 1. *libri* 5. *Eusebii*, tum Ill. Francisco FLORIO Utinensi doctissimo in Differt. *De Martyrib. Lugdunensib.* cap. 5.,

tum cæteris multis, qui hoc propugnant. Hoc unum tandem inde consecuturum ajo, doctrinæ eminentia, & antiquitate Ordinationis cumprimis, præstitisse cæteris Irenæum, eaque ratione primas tenuisse; at Metropolitam fuisse nego. Itaque principatus Irenæi supra reliquos Episcopos, non Sedis fuit, sed personæ. Exemplis ex Oriente desumtis, & ex perpetuo Afrorum more confirmare hoc possem. Vid. Bern. De Rubeis *Diss. Var. cap.* 21. *num.* 1. seu Valesium *in caput* 23. *libri* 5. *Eusebii*.

28. Ex HISPANIIS etiam pro Metropoleon Occidentis antiquitate argumentum petunt; nempe ex Eliberitana Synodo, Sæculo IV. ineunte habita: cujus Canone 58. cum *primæ Cathedræ Episcopus* nominetur; Metropolitanum iis verbis intelligunt.

Ego vero ea Eliberitanæ Synodi verba accipio de Episcopo, qui esset Ordinatione antiquior; non de Metropolitano. Vetustissimum sane Hispanorum Metropolitarum indicium occurrit in epistola Siricii Papæ ad Himerium Tarraconensem. Exeuntis nempe Sæculi Quarti hæc sunt. In verbis autem Eliberitanæ Synodi non Metropolitanum, sed antiquiorem Episcopum Africanorum more intelligi, ostendit Cajetanus CENNI *Antiquit. Hispan. to.* 1. *Diss.* 1. *cap.* 4. *num.* 7 – 11. Nota est scilicet Africæ disciplina, ubi, præter Cartaginensem qui jure fixo & perpetuo Primas erat totius Africanæ Ecclesiæ, Episcopi qui Ordinatione antiquiores essent, suæ Provinciæ præerant, primasque in Concilio sedes obtinebant, nulli Ecclesiæ speciali Primatus dignitate alligata. Et Hispani similiter per Provincias suas Seniori Episcopo

tunc

tunc primas ex veteri more deferebant; ſive rem hanc a natura ipſa didiciſſent, ſive Africæ finitimæ exemplum ſecuti ſint. Nulli itaque per Eliberitani Concilii tempora erant in Hiſpania Metropolitani; quod CENNIUS tum *loc. cit.* confirmat tum in *Diſſert.* 2. *cap.* 3. *num.* 2 - 4. Hinc quarto eo in capite Diſſertationis primæ emendat Thomaſſinum qui *Diſcipl. Par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 7. opinatus eſt, ab Eliberitanis de Metropolitica præeminentia actum eſſe.

29. Pro Eccleſiis vero TREVIRENSI & COLONIENSI Athanaſium in partes ſuas advocant. In *Hiſtoria* enim *Arianorum* memorata, *num.* 20. Athanaſius narrat, a Synodo Sardicenſi ad Conſtantium Imperatorem pro cauſa Catholicorum Legatos Epiſcopos miſſos eſſe *Vincentium Capuæ...,* & *Eufratem Agrippinæ, quæ Metropolis eſt ſuperioris Galliæ.* Et num. 33. *Claram*, ait, *edidere confeſſionem.... Paulinus Trevirorum Galliæ Metropolis Epiſcopus, Lucifer*, &c. Hinc volunt, Trevirenſem & Colonienſem Eccleſias fuiſſe Metropoles Sæculo IV. medio.

At paucis iſta refellimus. Nam Auguſtam Trevirorum *Metropolim* Athanaſius dixit, quod Imperatoria Sede, ac Præfectura Prætoriana Urbs Trevirenſis tunc decorata eſſet. Et vero niſi ita res eſt, & Metropolim Eccleſiaſticam Athanaſium intellexiſſe dicamus; Paulinum Trevirenſem Epiſcopum Galliæ univerſæ præfuiſſe, ex verbis Athanaſii colligere oportebit; quod nemo ſomniaverit unquam. Alia in uberiorem reſponſionem accumulat PAGIUS *ad ann.* 332. *num.* 5. & 6.

Coloniam Agrippinam octavo demum Sæculo, S. Bonifacio Germanorum Apostolo postulante, jura Metropolitica indeptam esse, consentiunt Viri docti. Restat igitur, ut solam civilem Provinciarum ac Diœceseωn formam, a Constantino positam, cogitaverit Athanasius.

30. Sunt hæc perspicua & plana. Videamus porro quæ Adversarii objiciunt paulo difficiliora. Inquiunt vero: In Concilio Taurinensi anni 397. ut numerant BARONIUS & MARCA, seu anni 401. ut emendat PAGIUS; in quo Concilio inter cætera, de dissidio Arelatensis Episcopi & Viennensis super Ordinationibus Episcoporum per nonnullas Provincias actum est; fuit definitum *Canone* 2., ut uter eorum *approbasset suam civitatem esse Metropolim* [Ecclesiasticam nempe; de metropolitico enim Ecclesiastico jure quæsitum ibi esse, non de Civili, ostendit PAGIUS *ad ann.* 401. §. 30 -- 45. contra Marcam & Quesnellum], *is totius Provinciæ honorem Primatus obtineret; & juxta Canonum præceptum Ordinationum haberet potestatem*. Ex definitione hac Concilii sic suspensa & incerta, colligunt: Nisi multo antea Jure Metropolitico usi essent Viennensis aut Arelatensis, explorata ejus origo Taurinensibus Patribus fuisset, certumque tulissent de ea re decretum. Dubia autem illis & obscura res fuit, ut ex decreti ambiguitate patet. De vetustissimo igitur agebatur Jure, quod & hominum memoriam superaret & tempus a nobis ortui Metropoleon præfinitum.

Verum aliud præter rerum obscuritatem, Patres Taurinenses cohibuit ab aperto condendo decreto. Cum

ARE-

ARELATE Provinciæ Viennensis Civitas variis, Principum beneficio, & Constantini præsertim, a quo *Constantina* etiam nominata est, aucta incrementis & ornata privilegiis fuisset; ita quidem ut nulli alii, Taurinensis Concilii ætate, intra Gallias Civitati præter Treviros splendore cederet; Taurinenses Patres, ne VIENNENSIS Ecclesiæ, recentioribus licet juribus derogarent in universum, simulque ne Arelatensis Urbis dignitati injuriosi existerent; rem ita in suspenso reliquerunt, ut in eorum decreto est. Nempe jam tum cœperat dignitati Urbium civili aliquid in Ecclesiastica Politia tribui ab Ecclesia; quod factum antea non fuerat. Accessit causa alia circumspecti consilii, ambiguique Decreti, quod allegatam pro Arelatensi audissent missionem & prædicationem S. Trophimi Arelatensis Episcopi, Pauli Apostoli discipuli, per universas Gallias; unde partum esse Ecclesiæ Arelatensi jus in plures Ecclesias, dictum fidenter est: quod sagacioribus tamen posteris improbatum fuit. Vid. Not. SIRMONDI in eum Taurinensem Canonem *col.* 1387. *tomi* 2. *Concilior. edit. Ven. Coleti*, & PAGIUM *ad an.* 401. *num.* 46.

Sed contra est, ac dicunt: Jus Metropoliticum acquisitum revera fuit ARELATENSI Episcopo ex prædicatione S. Trophimi per Gallicanas terras. Profecto Zosimus Pontifex non multo post Taurinense Concilium Patroclo Arelatensi contra Viennensem & Narbonensem Episcopos asseruit jus in plures Provincias propter *vetus privilegium*, quod ex missione S. Trophimi partum Arelatensi fuerat.

Sane, id Zosimus concessit falsa ductus suggestione

Pa-

Patrocli Arelatensis. Patroclus namque *subsidium ab audacia mutuatus*, ut ait BALUZIUS in additamento ad lib. quintum Concordiæ Petri de Marca *cap.* 30. *num.* 5., Zosimo privilegium illud persuasit tanquam rem extra omnem controversiam positam: hinc votorum suorum compos factus est. Cæterum cum sequenti tempore Leo Magnus retractaret privilegia Arelatensis Ecclesiæ contra Sanctum Arelatensem Hilarium, non dubitavit dicere, nullum Arelatensium Episcoporum ante Patroclum iis potitum esse, & hoc ipsum quod Patroclo temporaliter videbatur esse concessum, sententia postmodum meliore fuisse sublatum, nempe a Bonifacio I. Quæ dum dicimus, non est nobis animus de Apostolica Arelatensis Ecclesiæ origine definire quicquam: sed privilegia Metropolitica inde Ecclesiæ illi parta in quæstionem tantummodo vocamus.

Instant tamen, pro Arelatensi dicentes: *Marinus Arelatensis*, primus nominatur in inscriptione Epistolæ Concilii Arelatensis anni 314. ad Silvestrum Papam. Id autem arguit Jus Metropoliticum.

Minus vero ista nos movent. Quando Constantinopolitano Episcopo honoris prærogativa ad sedendum in publicis consessibus supra omnes Orientis Antistites, ad sententiam primo loco dicendam, ad subscribendum ante ipsos, concessa est vi *Canonis tertii* Concilii I. Constantinopolitani; quando pari jure supra Episcopos cæteros, uno excepto Cæsareensi Palæstinæ Metropolita, donatus est per *Canonem septimum* Concilii Nicæni I. Hierosolymorum Episcopus; neutri eorum tamen Jus Metropoliticum collatum est;

sed

ſed expectanda fuere Chalcedonenſis Concilii decreta, quibus res perficeretur. Igitur ſubſcriptionis honor, Metropolitani Juris certum argumentum non eſt. Et Marino Arelatenſi, ut primus inſcriberetur, datum eſt aut propter ætatem, vel potius quod loci, ubi habebatur Concilium, Epiſcopus eſſet: ubi enim Metropolitæ non eſſent; vel antiquior, vel loci Epiſcopus cæteris præferebatur, ajunt BALLERINII. Arelatenſis ſane Concilii ævo *non vendicabat ſedi ſuæ Arelatenſis Epiſcopus jus Metropoliticum, ſed e contra dicitur eſſe Epiſcopus Provinciæ Viennenſis in veteri Catalogo Epiſcoporum qui ad Arelatenſem Synodum convenerunt*, ait Stephanus BALUZIUS *cap. cit. num.* 6. Vid. & infr. *num.* 51 -- 55.

31. Etiam pro MASSILIENSI Eccleſia ad Concilium Taurinenſe provocamur. Patres iidem Concilii Taurinenſis, ajunt, *can.* 1. Proculo Maſſilienſi Epiſcopo in *ſecundam Narbonenſem Primatum tribuunt*, dum probaverit, hoc jure olim potitam eſſe Maſſilienſem Eccleſiam. Videmus igitur, Taurinenſes Patres de dignitate Eccleſiæ Maſſilienſis Metropolitica tanquam de re antiquiſſima & ſupra hominum memoriam poſita egiſſe. Dicendum idcirco, Jus Metropoliticum Nicænis temporibus longe vetuſtius eſſe in Occidente.

Ex his tamen expedire nos item facile poſſumus. Mutata ſive legibus Principum, ſive barbararum nationum invaſionibus civili Urbium adminiſtratione, maxima Sæculo IV. vergente, & ineunte quinto facta eſt rerum etiam Eccleſiaſticarum perturbatio. Quare inter Epiſcopos, quod maxime quiſque potuit,

tra-

trahere ecclesiasticorum Jurium ad se conatus est, sive propter novam Urbis suæ dignitatem, sive ob Provinciam divisam, sive alia demum de caussa. Hinc jura Ecclesiarum dubia & incerta evasisse videbantur. Similiter autem factum est in Narbonensi secunda inter Aquensem Episcopum & Massiliensem. Atque hoc in causa fuit, cur hæsit Taurinense Concilium in jure Massiliensis Episcopi dijudicando. Immerito autem ex eo colligas arcanam quandam & imperviam Metropolis Massiliensis vetustatem. Et hac quidem deficiente, facile postea Massilia inter Civitates, quæ Episcopo Arelatensi adjudicatæ sunt Leonis M. decreto, locum habuit. Vid. BALUZIUM *loc. cit. cap.* 31. *§.* 14. *& seqq.*

Cæterum vel ex hac ipsa quæstione, & ex superiori illa inter Viennensem & Arelatensem in Taurinensi Concilio agitata, seram Metropoleων Ecclesiasticarum institutionem confirmandam sibi putarunt BALLERINII *in* 2. *Partem Dissertationis V. Quesnell. Cap.* 5. *num.* 8 -- 10.

32. Ex Conciliis quoque sibi patrocinium hic quærunt adversæ partis defensores. Et afferunt Canonem IV. Nicæni I. Concilii, præcipientis, *ut firmitas eorum, quæ geruntur, per unaquamque Provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo*. Ajunt autem: Nicænum statuit, in quavis Provincia esse Episcopum Metropolitam, cui omnium per Provinciam agendorum competat confirmatio. Adversatur ergo Nicænus 4. Canon positæ a nobis Metropoleon origini.

Sed hæc solutionem habent facilem. *Concilium Nicænum*, ait PAGIUS ad ann. 401. num. 49., *non*

solum

ſolum nihil quoad Metropoles innovavit; ſed etiam, ut antiquæ conſuetudines ſervarentur, Canone VI. edixit. Recitatus fuit hic Canon ſextus Nicænus *ſup. num.* 7. Aliquæ ab initio in Oriente ſtatutæ ſunt Metropoles Eccleſiaſticæ in loco, eoque modo qui pro data occaſione Apoſtolis, aut Viris Apoſtolicis placuit. Emerſere poſtea frequentiores Metropolitani ob eam decentiæ & convenientiæ cauſſam, quam afferunt Antiocheni Patres laudati ſuperius; *quod ad Metropolim* civilem ſeu præſtantiorem Provinciæ Urbem *omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant*. Hæc vero decentiæ, & convenientiæ ratio, uti dicebamus ibidem, locum etiam in Occidente habere cœpit, maximeque poſt ſtatutam a Conſtantino Diœceſeon, & Provinciarum diſtributionem. Illi namque Antiſtites, qui ſedem in primaria Civitate conſtitutam habebant, politici primum regiminis exemplo, in eccleſiarum negotiis prælati ſunt aliarum in provincia Civitatum Epiſcopis: ac paulatim gliſcente conſuetudine, ad eam venerunt auctoritatem, quæ eos reliquorum Provinciæ Epiſcoporum prepetuos fixoſque Metropolitanos fecit. His itaque gradibus incrementum accepit Metropoleon numerus in Oriente, & ad Occidentem ſimul Metropoliticum Jus tranſiit. Cæterum, antequam hæc ita mutata ſunt, *antiqui moris* habenda fuit ratio, ſecundum Canonis VI. Nicæni præceptum. Vid. Bernard. DE RUBEIS in *Diſſertationib. Variæ Erudition. Cap.* 21. *num.* 3., e quo reſponſum hoc fere totum ſumebamus.

33. Docti illi tamen Viri adhuc volunt, Nicænum Concilium neceſſitatem ponere Metropolitani in qua-

libet Provincia; quod colligere sibi videntur ex secunda parte hujus ipsius nunc allegati Canonis VI. Nicæni, in quo legimus ex interpretatione Gentiani Herveti: *Illud est omnino manifestum, quod si quis absque Metropolitani sententia factus sit Episcopus, eum magna Synodus definivit non esse Episcopum.*

Verum, si Nicænum necessitatem ponit Metropolitani generatim, sive is pluribus præsit Provinciis, sive uni; non postulat tamen Metropolitanum in unaqualibet Provincia. Immerito igitur in medium producitur Canon VI. Nicænus, quasi nobis adversetur; quando potius juvat maxime causam nostram. Est enim, ut *num. proximo* indicatum est, in prima Canonis ejusdem parte scriptum, ut *antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus omnium habeat potestatem, quia & Urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque Provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis.* = Convenit autem doctis nunc omnibus, & Ecclesiasticæ Disciplinæ peritis, agi hoc Canone [*potissimum*] de Ordinationibus Episcoporum, ait THOMASSINUS *Discipl. Par.* 2. *Lib.* 2. *Cap.* 8. *num.* 1. = Addo, consentire pariter doctos omnes, Petrum DE MARCA, DUPINIUM, Cristianum LUPUM, Franciscum HALLIERIUM, Benedictum BACCHINIUM, ipsum THOMASSINUM, eos denique omnes, qui de Romana Episcoporum Consecratione scripsere, Episcoporum ordinationes seu consecrationes per plures Provincias vindicari hoc Canone Alexandrino præsertim Episcopo; & hoc illius Jus fulciri exemplo paris juris quo Ro-

ma-

manus Episcopus potiretur; solumque dissentire in hoc Provinciarum Romanarum numero designando. Hoc ipso ergo, qui nobis objicitur, Canone efficitur, plures simul Provincias posse Metropolitano uni subjici: atque ex consequenti nullam hic Canon necessitatem imponit Metropolitani in singulis Provinciis habendi.

34. Facere tandem pro se putant Synodum Laodicenam, anno 320. seu quinque ante Nicænam annis habitam; qua decretum est, *Ut Episcopi, judicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum qui circumcirca sunt, provehantur ad Ecclesiasticam potestatem*. Differunt autem hoc modo: Temporibus Nicænis in Ordinationibus illos præcipuam auctoritatem habere oportuit, qui in Provinciarum Metropolibus habebant sedem; temporibus ergo Nicænis cuique Provinciæ suus præfuit Metropolitanus.

Sed frustra hæc sunt. Nam Laodicenam Synodum ad Nicæna tempora non pertinere, sed esse Nicæno Concilio posteriorem, satis nunc est exploratum; etsi non inficior, de Synodi illius ætate discrepantes ferri sententias; nec eos deesse, qui eam aut Nicæno Concilio, ut Baronius, aut, ut alii, Sardicensi saltem vetustiorem dicant: a quibus tamen, rebus accurate perpensis, recedendum putamus. Itaque Laodicena Synodus inter Sardicensem, & Constantinopolitanam I., idest inter annum 347. & 381. celebrata fuit: pro qua re suppeditant nobis duo momenta firmissima BALLERINII De Collection. Can. in to. 3. S. Leon. *Par.* 1. *Cap.* 3. *num.* 12. Porro Petrus DE MARCA Concord. Sac. & Imp. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 1. ad annum Chr. 365. locari hanc Synodum posse

putavit; sed adversatur ei PAGIUS *ad ann.* 314. *num.* 25.; ac suis motus fundamentis constituit, potius *videri Synodum Laodicenam ad Annum* 363. *pertinere*. Jam cum post tempora a nobis ortui Metropoleon Occidentalium præfinita & post Concilium Antiochenum sæpe memoratum sit habita Synodus Laodicena; non bene argumentum ex ea contra nos petitur.

CAPUT IV.

Metropolibus Ecclesiasticis nondum in Occidente institutis, quomodo in Provinciis Roma dissitis eæ res Ecclesiasticæ peragerentur, quæ ad Metropolitanos postea delatæ sunt?

35. Contra sententiam de sero Metropoleon ortu in Occidente objicitur postremo: Si nulli fuerint quatuor fere Sæculis in Occidente Metropolitani, præter Romanum Pontificem; intelligi non potest quomodo Ordinationes fierent Episcoporum, celebrarentur Concilia, judicia sacra instituerentur, & Ecclesiastica agerentur cætera, quæ Metropolitanorum fuere semper propria. Simul enim ac dixerimus, Episcopos paris fuisse auctoritatis; cum par in parem nulla potiatur potestate, nemo aderat qui curare ea posset vel eorum actioni præesse.

36. Huic difficultati latius respondendum est; quod eo quidem libentius facimus, quia non parum id conferet ad notitiam rei Ecclesiasticæ veteris, & ad ea

illu-

illustranda confirmandaque quæ *superioribus Capitibus* dicebamus.

Itaque non una Metropolitica dignitate Episcopus Episcopo præstat, sed Ordinationis etiam antiquitate, vel item Delegatione qua muneri cuipiam exequendo præpositus a superiori aliqua Cathedra fuerit. Locus etiam ubi Conventus Episcoporum habeatur, potest suo Episcopo præeminentiam conciliare: vel eam potest quis tanquam nativo jure habere a propria Cathedra. In Ecclesiasticis Conciliis diversam fuisse sedendi rationem pro diversis temporibus, ac locis; ac simplicissimam, & rationi maxime consentaneam sessionis fuisse rationem, ut antiquissimus Episcopus cæteris præsideret, agnoscunt Henricus VALESIUS *ad Eusebii lib.* 5. *cap.* 23., & PAGIUS *ad ann.* 401. *num.* 49. BALLERINII autem *in Partem* 2. *Dissertationis quintæ Quesnelli Cap.* 5. *num.* 2-- 6. ajunt, Gallicanos Episcopos adhuc post Nicænæ Synodi tempus antiquam methodum tenuisse, quæ tribus prioribus Sæculis viguit, ut scilicet cum nondum Metropolitani essent constituti, Episcoporum Synodis vel antiquior, vel Civitatis, in qua Synodus cogebatur, Episcopus præsideret. At Cajetanus CENNI *Antiq. Eccl. Hispan. to.* 1. *Diss.* 2. *cap.* 3. non semel inculcat, adhuc Eliberitani Concilii tempore seu ineunte quarto Sæculo, in Hispaniis, quando nondum ulla dignitatis prærogativa inter se præstabant Episcopi, antiquiori Provinciæ Episcopo fuisse primas delatas, si quando simul congregarentur, plebes confirmaturi in fide. Antiquiorem autem intelligit *Ordinatione antiquiorem*.

37.

37. Igitur, ubi Metropolitani deerant, modo antiquior, modo vero loci Episcopus præferebatur cæteris; aut etiam ille qui a superiori Cathedra delegatus fuisset; vel ille tandem qui id jus haberet a Cathedra propria. Atque hæc postrema duo præ oculis habebant Benedictus BACCHINIUS, & Bernardus M. DE RUBEIS, quando ille in *Orig. Hierarch. Par.* 2. *§.* 15., hic in *Monument. Eccles. Aquilejen. cap.* 19. *num.* 6. scribebant, adhuc tempore Nicæni Concilii Romanum Pontificem in Italia ac Insulis adjacentibus per se Episcoporum Ordinationes celebrasse, ad Synodum Romanam vocasse Antistites, ac negotia quæque peragisse in his Provinciis: hæc autem omnia in dissitis regionibus cum per se Pontifices Romani, re christiana præsertim amplificata, exsequi non valerent; eadem peragenda demandasse tum illis, quos initiatos Episcopos ad gentium conversionem mittebant, tum certis etiam quos vellent Præsulibus, qui prædicta omnia eorum nomine curarent.

38. Istis addunt alii, ipsos etiam aliquando e longinquis regionibus Electos Episcopos Romanum adiisse Pontificem Ordinationis Episcopalis suscipiendæ caussa. Paschasius enim QUESNELLUS vir doctissimus *Dissert.* 5. *in S. Leon. Part.* 1. *cap.* 13. cum in ea sit sententia; ut *num.* 27. vidimus; Sæculo secundo vergente unicum toti Galliæ præfuisse Episcopum Lugdunensem; Irenæum putat Romam cum litteris Martyrum Lugdunensium profectum esse ad Eleutherum Papam, ut ab eo ordinaretur. Objicit enim sibi, seu interrogat *num.* 12. Si unicus erateo te mpo-

re Gal-

re Galliarum Episcopus; a quo Irenæus post Pothini mortem Sacerdotii honorem consecutus est per impositionem manuum? ac respondet, hanc Consecrationem ab ipso Pontifice Romano adeptum esse Irenæum. Igitur cum nullus inibi tunc esset Episcopus, qui manus posset imponere, *necesse fuit*, ait, *ad Romanum confugere Episcopum, cum propter vicinitatem, tum propter potentiorem*, *ut loquitur ipse Irenæus*, *principalitatem*. Et Quesnelli non sententiam modo sed verba etiam adoptat D. Renatus MASSUET *in Vita S. Irenæi num.* 12.

39. Sed quam late primis Sæculis pateret cura, quam Pontifices Ecclesiis per se impendebant, illustre præbet nobis indicium Auctor Vitarum Romanorum Pontificum; uti animadvertit Josephus Jacobus DUGUET in illis suis lectissimis *Conferences Ecclesiastiques* Dissert. 56. §. 4. Ad memoriam revocat Duguetus Auctoris illius diligentiam, quando numerum adscribit Episcoporum, quos Pontifices ordinassent; qui Episcopi ita quandoque multi sunt, ait, ut dubitari non possit, eo numero comprehensos multarum Provinciarum Episcopos. Sixtus III., exempli caussa, Sancti Leonis decessor, suo octo annorum Pontificatu ordinavit Episcopos duos & quinquaginta: *Episcopos per diversa loca quinquaginta duos*; & S. Leo viginti annorum spatio ordinavit *Episcopos centum octoginta quinque*. Recte ista DUGUETUS. Quæ si ita fiebant post ortas Metropoles, multo magis putandum est facta esse ante Metropoles erectas.

Neque sane LIBRO illi PONTIFICALI, ut appellant, seu Auctori Vitarum Romanorum Pontifi-

cum

cum in hoc est abroganda fides; cum ea quæ de Ordinationibus Episcoporum per Pontifices, adnotavit; eodem plerumque modo tradita reperiantur in altero duorum CATALOGORUM, quos post doctos Viros alios illustravit & edidit Emanuel a SCHELSTRATE *in to.* I. *Antiquitatis Eccles. Illustratæ*, & qui cum antiquissimi sunt, tum sunt fundus, unde Auctor Libri PONTIFICALIS desumsit res præcipuas, quas de antiquissimis Pontificibus narraret.

Et ex altero quidem illo CATALOGO libet id confirmare quod assumebam de ampla Romani Pontificis in ordinandis Episcopis potestate ante Metropoles erectas. Vel ipso persecutionum tempore Eutychianus, qui sedit annum unum cum mense, eo in Catalogo traditur hoc brevi temporis intervallo ordinasse Episcopos novem; Marcellus, qui sedit annos quatuor, traditur ordinasse Episcopos unum & viginti. Marcus autem, qui sedit annos duos, ex ejusdem Catalogi fide ordinavit Episcopos septendecim: Felix, qui sedit annos tres, ordinavit Episcopos decem & octo: Zosimus, qui sedit annum unum & menses duos, ordinavit Episcopos octo: Bonifacius, qui sedit annos tres & menses octo, ordinavit Episcopos trigintaquinque: Cœlestinus, qui sedit annos septem, menses decem, ordinavit Episcopos quadragintasex. Huic vero succedit Sixtus III. de quo superius. Scio, alios veteres Romanorum Pontificum Catalogos aliter res aliquando numerare, & hunc in aliquibus emendatione egere; sed id rei præsenti nihil tandem officit.

40. Sed ad Bacchinium redeo & Bernardum De

Ru-

Rubeis. Quod enim attinet ad mandatum Pontificis, quo prædicta ajunt peragi debuisse in dissitis regionibus; illud diutius usitatum fuisse in Scotia, narrat ex illius Regni Historicis THOMASSINUS *Discipl. Par. 1. Lib. 1. cap.* 45. *num.* 11. Apud eam enim Gentem Episcopatus ab Apostolicis Missis fundati, nulli tum parebant Metropolitano. Episcoporum equidem Ordinationem vendicabat sibi Sant-Andreanus Episcopus; sed Ecclesia Romana, ait Thomassinus, electos Episcopos confirmabat, contendebatque integrum sibi esse, eorum Ordinationem, quibus colli bitum esset, delegare. Hinc Innocentius III. ordinandi Episcopi munus delegat aliis Episcopis quam Sant-Andreano, sed *sine utriusque partis præjudicio*. Sixtus IV. perpendens dispendia Scotis subeunda, dum Romana adeatur Metropolis, Episcopos Sant-Andreanos sanxit deinceps fore Metropolitanos. Pertinent equidem hæc ad sera sæcula; sed indicio tamen esse possunt quid Sæculis prioribus per Ecclesias gereretur vel geri potuerit, quamdiu Occidens Metropolitis caruit.

41. Illa vero propius ad rem faciunt, quæ vetus Historia habet de VICARIIS APOSTOLICIS deque mandatis quibus eos ornare Pontifices consueverunt. Quos inter Vicarios erat in primis illustris Episcopus Thessalonicensis, cui solebant Pontifices vices suas delegare, ut ea per Illyricum exequeretur quæ Pontificii juris essent, & cui, uti *loc. supra cit.* adnotat DUGUETUS, dubitare non licet non plus juris Pontifices contulisse quam quo ipsi potirentur [& il est sans doute qu' ils ne lui avoient pas accordé plus de

puissance qu' ils ne s' en attribuoient à eux-mêmes]. Videamus ergo quid Anastasio Thessalonicensi Sanctus LEO M. scribat epist. 12. nunc 14. cap. 6. *De persona consecrandi Episcopi*, ait, *& de Cleri plebisque consensu Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat; quodque in provincia bene placuit, faciat* (*scire te faciat*, legunt Ballerinii); *ut ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas*. In Illyrico igitur, subdit DUGUETUS, Ordinatio Episcopi nulla fiebat, nisi magno Metropolitano permittente. Ac pari modo ex hac Leonis epistola argumentatur Ludovicus THOMASSINUS *Discipl. Par.* 2. *Lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 12.

42. Natalis autem ALEXANDER *Dissert.* 20. *in Histor. Eccles. Sæculi IV. Prop.* 1. congerit in unum plures Romanorum Pontificum epistolas ad Vicariatum Episcoporum Thessalonicensium spectantes; nempe Siricii, Bonifacii, Cœlestini, Sixti, Leonis: tum ita colligit: Ex his omnibus perspicuum est, Romanum Episcopum jus Ordinationum vel peragendarum, vel confirmandarum obtinuisse. Alioqui jus illud Thessalonicensibus Episcopis per omnes Illyrici Provincias non commisisset. *Enimvero* (subdit) *si jus illud non habuisset, quomodo illud suis commisisset Vicariis, id est Primatibus?* Jam vero si hæc ita agebantur, quando institutæ jam fuerant Ecclesiasticæ Metropoles; omnes jam vident quid cogitare de iis temporibus debeamus, quibus nulli dum per Occidentem extiterant Metropolitani, sed pari omnes Episcopi jure vivebant, soli Romano Pontifici ut Metropolitano *Majori* obnoxii. Sed de mandato seu delegatione Pontificis

per

per diſſitas regiones plura non dicam.

43. Quod vero BACCHINIUS & de RUBEIS dicebant, primis ſæculis Pontificem Romanum in Italia inſuliſque adjacentibus per ſe Metropolitica munia exercuiſſe; probare id poſſumus monumentis perſpicuis. Gregorius Magnus epiſtola 78. Libri 1. Leoni Epiſcopo in Corſica Viſitationem injungit Saonenſis Eccleſiæ vacantis: *ita enim conſueverat*, ajunt Editores Monachi, ***Romanus Epiſcopus in Provinciis ſibi ut Metropolitano ſubditis, ex quibus Corſica***. Idem Gregorius M. epiſtola ſeptima libri 2. Maximiano Epiſcopo Syracuſano committit, ut vices ſuas in Sicilia gerat; reſervatis tamen majoribus ſeu difficilioribus cauſis. Has vero Maximiano vices committit, ne deinceps illius Inſulæ Clericis *ſit neceſſarium pro parvulis*, ait Gregorius, *ad nos cauſis tanta maris ſpatia tranſmeando pervenire*. Epiſtola vero vigeſimaquarta ejuſdem libri Maximiano eidem Syracuſano demandat examen cujuſdam Presbyteri ad Epiſcopatum provehendi, & ut illum, ſi dignum repererit, *ad nos*, ait, *ſtudeat deſtinare, ut eum diſponente Deo, loco cui prævideriмus, poſſimus ordinare Paſtorem*. Scilicet, ut ibi adnotatur, ea ætate Epiſcopi Italiæ, Siciliæ, & aliarum viciniorum Provinciarum, non conſecrabantur niſi a Romano Pontifice, vel de ejus licentia.

44. Epiſtola vero prima Libri primi *ad univerſos Epiſcopos Siciliæ*, dum jubet, ſemel per annum Siculos Epiſcopos Synodi habendæ cauſa convenire ad Syracuſanam ſive Catanenſem civitatem; Synodis iſtis præficit Petrum Subdiaconum, ſuum in Sicilia vicarium, cum quo Eccleſiaſticas cauſas *congrua deberent*

 mode-

moderatione disponere. Idque exemplo prædecessorum se facere affirmat, scribens in exordio epistolæ: *Valde necessarium esse perspeximus, ut sicut decessorum nostrorum fuit judicium, ita uni eidemque personæ omnia committamus; &, ubi nos præsentes esse non possumus, nostra per eum, cui præcipimus, repræsentetur auctoritas*. Sicuti porro subdiaconus apostolicæ Sedis Vicarius Synodis in Sicilia præsidebat, ita illius etiam erat easdem indicere: ait in hanc Gregorii epistolam NORISIUS in *Dissertatione De Syn. Quinta cap.* 10 Idem Gregorius epistola quinta libri secundi Felici Messanensi Episcopo concedit, certis tamen sub conditionibus & non alias, facultatem consecrandæ cujusdam Basilicæ in Messanensi urbe a Januario subdiacono Messanensi fundatæ.

Ex qua epistola Gregorii, pondus & auctoritas conciliatur Formulis illis, quæ exhibentur in *Libro Diurno Romanorum Pontificum*, primum ab HOLSTENIO, deinde a GARNERIO edito. Est liber, judice Garnerio, collectus Sæculo ineunte octavo. In ejus autem Libri capite quinto editionis Garnerianæ, variæ extant Formulæ spectantes ad Episcopos Suburbicarios, seu eos qui ad Romani Pontificis Consecrationem pertinebant; quæ Formulæ exhibent Petitiones Episcoporum, & Responsa Pontificum, per quæ fiebat ipsis potestas consecrandi Basilicas, Oratoria, Baptisteria, & Altaria; levandi corpora sanctorum & honestiore loco reponendi; præficiendi Prebyteros oratoriis & basilicis, & hujusmodi alia peragendi, quæ ex illius temporis disciplina non illis prius licuisset exequi, quam a summo Pontifice indultum fuisset;

uti

uti etiam Joannes GARNERIUS ibidem adnotat: qui doctus Vir indicat ipse quoque fontes antiquiores, unde Formulæ illæ seu ex toto seu ex parte manaverunt.

45. Ut illud vero magis illustretur, quod est de Ordinationibus Episcoporum per Romanum Pontificem, juvat afferre locum ex ejusdem Gregorii Magni Vita a Johanne Diacono scripta, unde noscere possimus ad quam multas Provincias jus hoc Pontificum protenderetur. *Gregorius*, ait Johannes Lib. 3. Cap. 7., *ex presbyteris cardinalibus Ecclesiæ suæ consecravit Episcopos Bonifacium Rhegii, Habentium Perusii, & Donum Messanæ Siciliæ. Ex Subdiaconibus vero Gloriosum Istriæ, Festum Capuæ, Petrum Trecas (Trecalitanum* in Sicilia, legendum putant Monachi editores), *& Castorium Arimini. At vero ex Monachis Monasterii sui, Marinianum Ravennæ, Maximianum Syracusis, & Sabinum Callipoli Præsules ordinavit.*

46. At dicet quis: Quid hæc ad priora Sæcula tria vel quatuor; cum Gregorius M. multo post vixerit? Occurro autem respondendo, si sexto exeunte Sæculo, quo Gregorius vixit, hæc ita fiebant; multo potiori jure fieri ita debuisse, quando nulli uspiam in Occidente aderant Metropolitani, qui ea exequerentur. Addo, cum in Sicilia nulli, Gregorio M. sedente, essent Metropolitani; ex ejus Provinciæ moribus colligi debere, qua ratione in aliis olim Provinciis, nondum ibi exortis Metropolitanis, administratæ fuerint res Ecclesiasticæ; seu administrare Pontifices pro jure suo potuerint.

47. Placet porro hoc loco animadvertere, non omi-

fisse

fisse aliquando Pontifices aliis in memoriam revocare Jura sua primæva, quibus ante institutas Metropoles potiti fuerant, & quorum exercitio & usu cesserant in gratiam inferiorum Ecclesiarum. Id videmus a Gregorio ipso factum in epistola 30. libri tertii, in qua Johanni subdiacono dat in mandatis, ut in Sede Mediolanensi Constantinum *a propriis Episcopis, sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ*, ait, *auctoritatis assensu faciat consecrari; quatenus hujusmodi servata consuetudine, & apostolica Sedes proprium vigorem retineat, & a se concessa aliis sua jura non minuat*. Quæ postrema verba tum adstruunt prisca Pontificum jura in Ordinationibus Episcoporum, tum significant, si post conditas Metropoles inferiores Ecclesiæ regerentur laxius, id Pontificum ipsorum liberalitati adscribendum, qui suis se juribus in gratiam Episcoporum abdicassent. Ex quo id iterum confirmatur, quod de Ordinationibus per Pontifices in Italia Insulisque adjacentibus priori tempore peractis proponebam.

Sed vel ipsis seris sæculis & ipsis sane exterarum nationum Metropolitanis nondum memoria exciderant fons & origo unde jura Metropolitica quibus fruebantur dimanassent. Quod illi Metropolitani voluere testatum, qui Sæculo decimoquarto primi in Galliis præfati sunt suis in litteris, se Dei & Apostolicæ Sedis gratia esse Episcopos. Neque enim Episcopi fuere, qui primi hac formula uterentur, sed Metropolitani. Collegit Thomassinus Discipl. eccl. de Benef. part. IV. l. 1. c. 22. [nunc Part. 1. lib. 1. cap. 60. num. 9. & 10.], ait in Præfatione ad *Galliam Christianam* Dionysius SAMMARTHANUS, quædam exempla

usur-

usurpatæ hujus formulæ, *Dei & sanctæ Sedis gratia*, & contendit priores qui ea usi sunt, fuisse Archiepiscopos, non autem Episcopos; scilicet Petrum Narbonensem in concilio Biterrensi an. 1351. & Simonem Turonensem in Concilio Andegavensi an. 1365.; *ea*, inquit Thomassinus, *de causa, quod auctoritas metropolitanorum dimanaverit a primatu* [seu præeminentia illa de qua nunc agimus] *S. Petri super episcopos; potestas vero Episcoporum juris & instituti sit divini*. Hactenus Dionysius SAMMARTHANUS. Atque etsi de illius formulæ initiis disputare non vacat, nec placet; hæc ipsa tamen ad rem sane optime faciunt.

48. Porro qui ad Ordinationem cujuspiam majoris Episcopi pertinent, eos certum est quoque ad Synodum illius pertinere. Est hoc axioma tritum & doctis omnibus probatum. Sed aliunde præterea certum est, ab Ecclesiæ initio ad quartum usque adultum Sæculum singulos universæ Italiæ Episcopos ad Synodum Romanam pertinuisse; neque aliam usquam Synodum a Romana diversam [quod Eruditis nonnullis contra visum] sive in causa Novatiani Anno Chr. 255. sive alias coactam in Italia fuisse. Perpetua igitur trecentorum & amplius annorum consuetudine servatum est, ut in unam Romanam Synodum cum Pontifice omnes Italiæ Episcopi congregarentur. Neque enim probari nobis potest illa eruditi Viri Petri DE MARCA opinio, docentis in *Concord. Sac. & Imp. lib. 1. cap. 6.* cœpisse primum unam ex tota Italia fieri Synodum anno 272., dum venia Aureliani Imperatoris Romam convenerunt omnes Italiæ Epi-

scopi

ſcopi ad cauſam diſceptandam Pauli Samoſateni, jam ſuperiore anno in duplici Antiochena Synodo damnati. Non novum condebat jus Aurelianus, ait THOMASSINUS Diſcipl. Par. 2. lib. 3. cap. 40., ſed ex veteris juris uſu ſanciebat, quo Epiſcopi Italiæ cum Papa ad Romana Concilia adgregarentur. Hanc rem præter Thomaſſinum illuſtrant P. DE RUBEIS in *Monum. Eccleſ. Aquilej. cap.* 19. & BACCHINIUS in *Orig. Hierarch. Par.* 2. *§.* 7-- 11. Confer. *ſup. num.* 21.

Itaque in hoc quoque de Synodis articulo compertum fit, qua via intra Italiam Inſulaſque adjacentes conſultationes de Eccleſiaſtica re haberentur, & quomodo cunctis harum Regionum Epiſcopis Romani Pontifices hoc pariter in capite Metropolitica poteſtate præirent.

49. Sed jam a duobus poſtremis modis, per quos, Metropolibus nondum inſtitutis, ſupplebatur muneribus Metropoliticis; tranſeamus ad modos priores duos. Diximus enim initio, quod, ubi Metropolitani deerant, in Eccleſiaſticis cauſis & negotiis vel præferebatur antiquior, vel loci Epiſcopus, vel a ſuperiori cathedra delegatus, vel demum qui a propria Sede id juris haberet. Cum autem duos modos poſtremos viderimus in Romano Pontifice; ordo jam poſtulat ut de Epiſcopo antiquiore, tum de Epiſcopo loci dicamus. Hi enim modi fuere multo uſitatiores; cum rarum fuerit, ut Romanus Pontifex functus ſit, aut per tempora perſecutionum, maxime in Eccleſiis longe poſitis fungi potuerit iis muneribus de quibus agimus. Nam quod auctoritatem illius attinet in Ordi-

nationi-

nationibus Episcoporum; illud equidem fateor, bene probatum esse ab HALLIERIO *De Sacris Election. Par. 3. Sect. 5. cap. 4. art. 3. §. 2.*, Episcopos statim atque ordinati essent, de sua Ordinatione referre ad Romanum Pontificem debuisse, & eos habitos legitimos, quibus Romanus Pontifex communicaret; e contra spurios & adulterinos, quos ille canonicis de causis respuisset. Sed hoc simul animadverto, non ista ad Metropolitica Jura pertinere aut Patriarchalia, sed ad jura Primatis Ecclesiæ Catholicæ.

50. Sed & illud damus cum Innocentio I. *in epistola ad Decentium Eugubinum*, non modo in omnem Italiam, sed & *in Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores constituerint Sacerdotes;* quare & jura peculiaria in Occidentales Ecclesias inde parta Romanæ Sedi. Verum ex jure non semper sequitur, ipsum fuisse Jus in usum deductum aut deduci potuisse: neque vero nunc de jure quærimus, sed de re tantum; Vid. THOMASSINUM *Discipl. Par. 2. Lib. 2. Cap. 8. & 19.* Redeamus jam in viam.

51. Et quoniam duo sunt præcipua ac majora Metropolitanorum jura; primum, quoad Synodos, alterum, quoad Ordinationes Episcoporum; ista præsertim considerabimus. Dicebamus *num.* 36., tum Valesium tum Pagium in eo convenire, Conciliorum Præsidem primis Ecclesiæ sæculis eum fuisse, qui Episcoporum esset antiquissimus. Recenset EUSEBIUS *Hist. Eccl. lib. 5. cap.* 23. Concilia, quæ Sæculo secundo exeunte habita sunt de quæstione super cele-

 bra-

bratione Paſchatis. Cætera autem inter nominat Synodum Epiſcoporum Ponti, *quibus Palma*, ait Euſebius, *utpote antiquiſſimus*, *præfuit*. Palma autem, adnotante VALESIO, erat Epiſcopus Amaſtridis in Ponto. At Ponti Metropolis non Amaſtris erat, ſed Heraclea. Hic igitur Synodo Ponticæ præſedit, non quaſi Metropolitanus, ſed, ut accurate ponit Euſebius, ob antiquitatis prærogativam.

52. Similiter, quando Concilio Valentino anni 374. præfuit Fægadius Epiſcopus Eccleſiæ Aginnenſis; ſola antiquioris ætatis ſeu Ordinationis ejus ratio haberi potuit. Neque enim Eccleſia Aginnenſis Metropolitanum unquam habuit. Recenſentur in ea Synodo alii inſigniorum Urbium Epiſcopi, Arelatenſis, Viennenſis, Trevirenſis, & Lugdunenſis; ſed, cum *nondum*, ut ajunt BALLERINII, *certa eſſet Metropolitarum inſtitutio*, præfuit Fægadius utpote cæteris antiquior. Item paulo poſt in Concilio Cæſarauguſtano hic ipſe Fægadius Aginnenſis, *eo quod*, inquiunt iidem Ballerinii, *tum nulli eſſent in Hiſpania Metropolitæ*, ratione ætatis primum ſupra cæteros omnes etiam celebriorum Hiſpanicarum Sedium Epiſcopos locum obtinuit. Igitur Hiſpaniarum Antiſtites prioribus Eccleſiæ ſæculis ſive Africanorum finitimorum exemplo, ſive natura ipſa duce ſenioribus Ordinatione deferre primas conſueverunt. Ita fuit majorum in more poſitum. Adhuc in Eccleſiaſtico uſu eſt, ut Eccleſiæ Proceres una eademque dignitate conſpicui, niſi ſublimiori aliquo gradu alter alteri præeat, antiquitate dumtaxat invicem ſecernantur: ad quam rem Cajetanus CENNI in *Antiq. Hiſpan. cap.* 4. *cit.* ponit

exem-

exemplum Collegii Cardinalium. Concilium quoque Tridentinum *seff.* 24. *de reform. c.* 2. favet huic mori: ubi enim res eſt de convocandis Conciliis Provincialibus, hæc decernit: *Metropolitani per ſe ipſos, ſeu illis legitime impeditis Coepiſcopus antiquior non prætermittat Synodum in Provincia ſua cogere.*

53. Hunc vero, qui ob ætatis ſenium ſeu ob *Sacerdotii vetuſtatem* præferebatur cæteris, Hiſpani nominabant *primæ cathedræ Epiſcopum*; uti videre eſt in Eliberitanæ Synodi canone 58., de quo *ſup. num.* 28. dicebam. Sed quis Eccleſiæ veteris ſenſus fuerit de honore erga Epiſcoporum Seniorem, non aliunde melius doceri poſſumus, quam ex cap. ultimo epiſtolæ 10. S. LEONIS M. ad Epiſcopos per Provinciam Viennenſem conſtitutos in cauſſa S. Hilarii Arelatenſis Epiſcopi datæ; in qua epiſtola S. Leo poſt definitam cauſam de juribus Metropoliticis Sancti Hilarii ejuſdem, Leontio, Forojulienſi, ut videtur, Epiſcopo, minime Metropolitano, ſed inter cæteros Epiſcopos Seniori, defert ut Synodi Provinciæ Viennenſis ſeu plurium Provinciarum Galliæ ſine conſenſu ipſius indici non valeant. *Quoniam*, ait S. Leo, *honoranda eſt ſemper antiquitas, fratrem & coepiſcopum noſtrum Leontium probabilem Sacerdotem, hac, ſi vobis placet, dignitate volumus decorari: ut præter ejus conſenſum alterius provinciæ non indicatur a veſtra Sanctitate Concilium, & a vobis omnibus, quemadmodum vetuſtas ejus & probitas exigit, honoretur, Metropolitanis privilegii ſui dignitate ſervata. Æquum eſt enim, nec ulli de fratribus fieri videtur injuria, ſi his qui Sacerdotii vetuſtate præcedunt, pro ætatis ſuæ merito, in ſuis*

provinciis a Sacerdotibus cæteris deferatus. Ex hac vero postrema Sancti Leonis sententia perspicuum fit, in Leontio non tam annorum senium Leonem considerasse, quam *Sacerdotii vetustatem* seu Ordinationis antiquitatem.

54. Inter Galliarum Episcopos Marinus Arelatensis, primus nominatur in inscriptione *sup. num.* 30. memoratæ epistolæ Concilii Arelatensis anni 314. ad Silvestrum Papam *in tom.* 1. *Concilior. edit. Ven. Coleti col.* 1449. Id vero factum est *quod Marinus*, inquiunt BALLERINII, *loci Episcopus esset*; certe non quia esset Metropolitanus. Si hoc enim loco honoris potitus fuisset; in Synodo Romana anno superiore pro caussa Donatistarum habita Melchiade Papa, non fuisset simplici Episcopo postpositus: ponuntur scilicet in hac Romana Synodo seu in Actis ejusdem ex Optato Milevitano, Reticius Augustodunensis, Maternus Agrippinensis, & Marinus Arelatensis. *vid. tom. Concilior. cit. col.* 1427. Porro Reticius Augustodunensis, qui primus in tribus illis nominatur, Metropolitanus non erat, sed Episcopus tantum. Marinus igitur, qui hoc in loco simplici Episcopo postponitur, Metropolitanus non fuit: & siquidem in Concilio Arelatensi præmittitur Reticio, qui in Romano eidem prælatus fuerat, sola loci ratio in causa fuit. Confer. Ballerin. *in* 2. *Part. Dissert.* 5. *Quesnelli cap.* 5. *num.* 2. 4. *&* 6.

55. Quod vero primis Ecclesiæ sæculis usu obtinuit in Galliis, in Hispaniis, & alibi; id in Africanis Ecclesiis nunquam mutatum est, ne post institutas quidem in aliis Occidentis partibus Metropoles; sed ser-

va-

vatum est semper, ut, uno Carthaginensi Primate excepto, Episcopus Ordinatione antiquior primas sua in Provincia partes obtineret, nulli Sedi Primatu affixo. Itaque cum nullæ Metropolitanæ Sedes, præter Carthaginensem, in numerosissimo illo Africanorum Episcoporum Coetu essent; Episcopi in Provincia antiquioris, erat Synodos cogere, illisque præsidere.

56. Quod alterum attinet; nempe Ordinationes Episcoporum; Cypriani tempore Apostolica vigebat traditio, ut proximi quique Provinciæ Episcopi ad Ordinationem Fratris convenirent. Id enim ex ejus epistola 68. prespicuum est, in qua affirmat, *ex traditione Divina & Apostolica observatione apud Afros & fere per Provincias universas teneri, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant*. Nimirum Episcopi, ait CENNIUS *Antiq. Hispan. to. 1. Diss. 1. cap. 4. num. 7.*, tametsi nullo auctoritatis discrimine Ecclesiam unusquisque suam gubernaret; tamen suas agnoscebant Ptovincias, constituebantque totidem corpora Episcoporum, quot erant provinciæ. Hinc, quando id Ecclesiarum suarum necessitas postularet, facile in unum coibant, agente eos potius lege charitatis quam ulla humana constitutione.

57. Quia tamen id sibi nonnulli Episcopi in Ptovincia usurpabant, ut soli ordinarent Episcopos, nemine Fratrum vocato aut præsente; huic malo obviam ivit anno 314. Concilium Arelatense I. decernens, *ut nullus hoc sibi imposterum præsumeret, nisi assumptis secum aliis septem Episcopis, aut si non potuerit*

ſeptem, *ſaltem tribus*. Habes integrum Canonem *ſupr. num.* 23.; ubi illud conſiderandum, nullum eſſe Epiſcopum, cui jus Ordinationis ſpeciatim aſſeratur, ſed omnes indiſtincte accipi & generatim appellari, tanqnam in ea re pares. Poſt hæc vero tempora, præcipue ſub Nicænum Concilium conſuetudo illa cœpit induci, ut convenientibus ad Metropoles ob civilia negotia Provinciarum incolis, de Eccleſiaſticis item Provinciæ rebus cum Epiſcopo Metropolis tractaretur ab Epiſcopis; unde etiam illa iſtius Epiſcopi nata facultas tum in ordinandis cæteris Epiſcopis, tum in aliis Eccleſiarum rebus; quam deinde ratam firmamque voluit Canon Antiochenus ſæpius laudatus.

58. Sic vero in Occidentem Metropoliticum Jus tranſiit: ſed ſenſim id factum eſſe, imo alicubi id Jus minus adhuc fuiſſe pervagatum, & Epiſcopos nonnullos veterem in Ordinationibus morem tenuiſſe, colligo ex TAURINENSI Concilio alias memorato & anno 401. habito. In hujus quippe Concilii *Canone tertio* agitur tum de aliis Epiſcopis, tum de quatuor nominatim, Octavio, Urſione, Remigio, & Triſerio, ſecundæ Narbonenſis, ut *in Notis* opinatur SIRMONDUS, Epiſcopis; qui cum de uſurpatis Ordinationibus reprehenſi fuiſſent, inde ſe tuiti ſunt, quod non fuiſſent prius commoniti: *In uſurpatione quadam*, ait Canon, *de ordinatione Sacerdotum ad invidiam vocabantur. Ipſi autem ea ſe ab hac cauſa excuſatione defenderunt, quod dicerent prius ſe non eſſe conventos*. Quid hoc porro ſignificat, niſi Ordinationes Epiſcoporum ante hoc tempus nullius Sedis juri fuiſſe alligatas lege ulla perſpicua & communi, vel con-

ſue-

ſuetudine; ſed fuiſſe promiſcue factas per Provinciæ Epiſcopos, prout charitas ſuaſiſſet, vel tuliſſet occaſio, aut deſideria populorum poſtulaſſent?

59. Hinc Synodus eadem Epiſcoporum illorum excuſationem quoad acta præterita ratam habuit; ac de futuris ſolum proviſum voluit. *Eis*, iniquit, *eatenus videtur indultum, ut de cætero hac auctoritate commoniti, nihil tale uſurpare conentur*. Hæc & alia de memoratis quatuor Epiſcopis Synodus decernit: additque quoad reliquos; *Non ſolum autem circa memoratos Epiſcopos hæc ſententia prævalebit, ſed & circa omnes, qui ſimili errore decepti, ordinationes hujuſmodi perpetrarunt*. Qænam, quæſo, *erroris* cauſſa fuiſſet, ſi Metropoleωn inſtitutum, & Metropolitarum Jura quoad Ordinationes tam fuiſſent conſpicua & cognita, quam ſunt ea quæ a vetuſto tempore & communi lege obtinuerunt? Nova igitur res erat, ut Ordinationes Epiſcoporum extra Italiam Inſulaſque adjacentes vel alias forte regiones nonnullas, uni eſſent Sedi affixæ. Vid. *tom.* 2. *Concil. edit. cit. col.* 1385.

60. Haud equidem ignoro, eo in Canone Taurinenſi Ordinationibus Epiſcoporum regulam poni, & vetari ne quis eam deinceps infringat, *faciendo contra ſtatuta majorum*. Sed hoc vel eſt intelligendum de hujus ipſius Concilii ſtatutis, vel forte melius de moribus qui circa Antiocheni Concilii tempora, quinquaginta & amplius ante annis invehi cœperant, ac annis deinde procedentibus multis in regionibus variis incrementis invaluerant. *Confer. ſup. num.* 31. Hinc nihil miror, ſi hoc ex Canone ita colligant BALLERINII *in* 2. *Partem Diſſert.* 5. *Queſnelli cap.* 5. *§.*

unde-

undecimo: Igitur nulli certi Metropolitæ erant in Galliis ante hoc Concilium, ſed induci cœperunt ſenſim; vetitum autem eiſdem Epiſcopis fuit ne quid ſimile in Ordinationibus Epiſcoporum de cætero ſibi arrogarent, quia Metropolitanorum inſtitutio, quæ paulo ante [per reliquum utique Occidentem] induci cœpit, ab eodem Concilio Taurinenſi confirmata fuit.

61. Iſtis quoad Synodos & Ordinationes Epiſcoporum adnotatis, addamus aliqua de Judiciis ſeu de Judiciorum ſententiarumve Epiſcopalium retractatione. Clericorum enim inferioris ordinis appellationes ex Orientalium diſciplina ad Metropolitas pertinebant; contra autem in Occidente, quando nondum fuerant Metropolitani inſtituti, ad Epiſcopos vicinos deferebantur. Id ita ſervandum erat ex præſcripto etiam Concilii Sardicenſis, quod anno 347. habitum eſt. Diſcimus enim hoc ex ejuſdem Concilii Canonibus Latinis. Sardicenſes ſcilicet Canones editi fuere duplici exemplo, Latino pro Latinis Patribus, Græco pro Græcis, ſeu Latino pro Occidentalium diſciplina, Græco pro diſciplina Orientalium; uti Veronenſes fratres BALLERINII oſtendunt in *Tractatu De Collectionib. Can. ad calc. Oper. S. Leon. Part.* 1 *cap.* 5. Ubi igitur in Græco textu Sardicenſium Canonum, judicium appellantium Clericorum committitur ejuſdem Provinciæ Metropolitano, vel, ſi abſit, Metropolitano Provinciæ finitimæ; contra in Latino vicinis Epiſcopis id committitur.

62. Sic enim de Presbytero vel Diacono depoſito habetur in Latino Canone XVII. apud Dionyſium, cui Canoni in Græco reſpondet Canon quartus-deci-

mus

mus: *Habeat potestatem is, qui objectus est, ut finitimos Episcopos interpellet, & caussa ejus audiatur, & diligentius tractetur: quia non oportet ei negari audientiam roganti: & ille Episcopus, qui aut juste, aut injuste eum abjecit, patienter ferat, ut negotium discutiatur, ut vel probetur sententia ejus a plurimis, vel emendetur.* Cum apud Græcos, subjungunt BALLERINII *loc. cit. num.* 4., Metropolitani plures jamdiu obtinerent, Clericorum inferioris ordinis appellatio Metropolitis in Græco textu addicta fuit. Cum autem apud Latinos in Italia præsertim, in Galliis & Hispaniis sub hoc tempus nondum Metropolitani ita essent uti apud Græcos instituti, quemadmodum ostendimus in *Observationibus ad dissert. V. Quesnelli Par.* 2. *c.* 5.; idcirco Clericorum appellationes non ad Metropolitas, sed ad vicinos Episcopos deferendas in Latino textu sancitum fuit.

E X P L I C I T.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

NUMERI, SUNT PARAGRAPHORUM SEU SECTIONUM OPUSCULI.

A

B

C

N

O

Q

R

S

FINIS.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del Pubblico Revisor *Dott. Nadal dalle Laste* nel Libro intitolato *De Sero Metropoleon Ecclesiasticarum ortu in Occidente &c. MS* non v' esser cosa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi concediamo Licenza a *Gio: Antonio Conzatti* Stampator *di Padova* che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 24. *Gennaro*. 1786.

(*Andrea Querini Rif.*

(*Cav. Proc. Morosini Rif.*

(*Zaccaria Vallareso Rif.*

Registrato in Libro a Carte 211. al Num. 1946.

Giuseppe Gradenigo Seg.

Registrato a carte 140 in questo Magistrato contro la Bestemmia 26. Gennaro 1786.

Vicenzo Minotto Seg.